



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Juris Canonici Theoria Et Praxis, Ad Forum Tam
Sacramentale quàm contentiosum, tum Ecclesiasticum,
tum Seculare**

Cabassut, Jean

Lugduni, 1698

Liber II. Qui est de Beneficiis Ecclesiasticis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62355](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62355)



LIBER SECUNDUS,

Qui est de Beneficiis Ecclesiasticis.

CAPUT PRIMUM.

*Quid sint Beneficia, eorumque varia divisiones;
& de jure Commendarum.*

I. **B**ENEFICIUM, quod etiam Præbenda vocatur, est jus percipiendi fructus ex bonis Ecclesiæ, Clerico concessum ob sacrum & Ecclesiasticum ministerium. Duæ namque res in Beneficio comprehenduntur, scilicet fructus temporales, & Ecclesiasticum ministerium, cujus exercendi causâ fructus assignantur: unde regula, *Beneficium datur propter Officium*, cap. ult. de rescript. in 6. In ratione Beneficii duo ista sunt ab invicem inseparabilia, ut docet canon *Si quis objecerit*, 1. q. 3. Sicut igitur à Romanis Imperatoribus agrorum portiones sub nomine Beneficiorum militibus attribuebantur, ut hoc quasi vinculo Principis obsequio & Imperii militiæ strictius addicerentur, unde & Beneficiarii Milites dicebantur, quorum meminit Lampridius in Alexandro Severo: quemadmodum etiam sub nomine quoque Beneficiorum solebant Domini prædia vassallis seu clientibus in feudum largiri sub hac conditione, ut ad militandum pro ipsis astricti essent, quorum fit mentio lib. 1. feudor.

P 2 tit.

tit. *An mariti succed. uxor. in benef.* 15. & tit. *De benef. frat. & qualiter frat. in benef. frat. succed.* 20. & lib. 2. tit. 12. & tit. 24. Ita etiam redditus & emolumenta annua sub nomine Beneficiorum Clericis præstare solet Ecclesia, cum obligatione strictiori militandi Deo, & certæ Ecclesiæ obsequia præstandi. Primis Ecclesiæ sæculis ex Fidelium primitiis & oblationibus Ecclesiæ Ministris pecuniæ collectæ in sportulis distribuebantur ad victum, ut constat ex Cypriani epistola 34. Quæ distributio in Ecclesia Carthageniensi singulis mensibus iterabatur: ideoque ibidem eas vocat mensurnas, id est mensuras, divisiones. Sed progressu temporum, postquam diversis prædiis auctæ sunt Ecclesiæ, factum est, ut ministrantibus Clericis prædia passim assignarentur ad vitam, ut se fructibus ipsorum sustentarent, manente penes Ecclesiam terrarum inviolabili proprietate. Quæ quidem assignatio nostris beneficiis nomen simul & originem dedit. Hujusmodi Ecclesiasticæ institutionis mentio prima legitur in duabus Symmachi Romani Papæ ad Cæsarium Arelatensem Episcopum epistolis, ut Baronius observat ad annum Christi 502. n. 36. 37. & 38.

II. Ad constituendum Beneficium necesse est ab Episcopo in Titulum erigi: hinc fit ut privatæ Capellæ à privatis etiam in perpetuum dotatæ pro Missarum in eisdem celebratione, quantumvis benedictæ, non censeantur inter Beneficia, sed sub sola remaneant fundatorum & successorum dispositione, incio etiam Episcopo, qui solus potest eas intitulare ac spiritualizare, ut loquuntur Canonistæ, & eas deinceps ut Beneficia Ecclesiastica conferre, sola Patronis relicta præsentatione. Atque ex tunc, & non antè, subjici incipiunt Papalibus Decimis, & simoniæ beneficiæ censuras secum trahunt, atque in Beneficiorum impetrationibus coram Papa vel Legato exprimi debent, permutari cum aliis Beneficiis possunt, & regulis Cancellariæ sunt obnoxie, insuper & fructuum restitutioni, si Divini Officii recitatio fuerit omissa: ad quam restitutionem non tenebatur provisus antequam Episcopus intitulasset, dummodò Missarum obligationi satisfecisset. Hæc verò observanda sunt ad multorum casuum occurrentiâ elucidationem.

III. Dividuntur primùm Beneficia in Secularia & in Regularia. Ad Secularia non nisi Secularibus Clericis; ad Regularia non nisi Regularibus patet accessus, cap. *Cum singula*, de præbend. in 6. & Clement. 1. de election. Ea verò tribus discernuntur modis. Primò fundatione, can. *Quæ semel*, 19. q. 3. Secundò conversione ac mutatione status à seculari in regularem, & vice versa à regulari in secularem, cap. *Ad audientiam*, de Eccles. ædific. Tertio longa consuetudine ac præscriptione, quatenus per tempus legitimum regularia per Seculares Clericos, aut secularia per Regulares possessa fuerunt, cap. *Cum de beneficio*, de præbend. in 6. Istud verò tenendum, ad hoc ut Beneficium regulare in statum secularem præscribi possit, atque seculare in regulare Beneficium convertatur, annos requiri quadraginta,

quadraginta, d. cap. *Cum de beneficio*, juncta Glossa in verb. *Legitima*, Despeisseus de Benefic. tit. 3. num. 31. & 37. Rebuffus 1. p. praxis, tit. *Quinplex sit benef.* num. 5.

IV. Item solus Papa providere potest Regularem personam de Ecclesia Seculari, can. *Qui semel*, 19. q. 3. Cum tamen quilibet Ordinarius possit in sua Diocesi conferre Beneficium Regulare Clerico Seculari, can. *Si Episcopus*, 2. q. 2. Qui tamen Clericus sic provifus tenetur statim Habitum Regularem suscipere, & post annum professionem emittere, ex praescripto Concilii Trident. sess. 14. cap. 10. de reform. Hinc tamen excipiuntur Abbatia & Prioratus Regulares, de quibus nullo modo possunt Ordinarii providere.

V. Hoc pariter notandum, posse quoque Secularibus Clericis absque obligatione assumendi Monastici instituti conferri Abbatias & Prioratus Claustrales & Canonicatus Regulares in Commendam, sed non in Titulum. Navarrus haec fufius pertractat in comment. 3. de Regular. & Prosper Fagnanus in cap. *Cum in Magistrum*, num. 13. & seqq. de election. ubi rectè monet, non esse in Jure novum, ut Beneficia certo personarum generi destinata conferantur illis etiam qui tempore provisionis hujus non sunt de illo genere. Primum exemplum est in Secularibus, qui providentur de portionibus & Beneficiis Monachalibus, aut Canonicatibus Regularibus, uti jam dixi. Secundum est in provisionibus Parochialium Ecclesiarum, quae fieri permittuntur respectu Clericorum necdum Sacerdotum, qui tamen tenentur intra annum ad Sacerdotium promoveri, cap. *Licet canon*, & cap. *Cum ex eodem*, de election. in 6. & cap. *Si pro Clericis*, cum sua Glossa, de praebend. in 6. Tertium exemplum patet in Beneficiis, quibus certa onera sunt annexa, quae tamen ritè conferuntur Clericis necdum habentibus Ordines requisitos ad ea onera exercenda. Nam Praebendae Diaconales & Sacerdotales conferri possunt illis qui intra tempus à Jure statutum possunt praefatis Ordinibus initiari, Clement. *Ut ii*, de arat. & qual. quam instaurat ac innovat Concilium Trident. sess. 22. cap. 4. & sess. 24. cap. 12. §. *Neminem*. Admonet idem Fagnanus loco cit. num. 28. collationes Ordinariorum in ejusmodi casibus non esse faciendas sub forma conditionata (soli enim Papae jus conferendi sub conditione competit) sed esse simpliciter & purè faciendas: cum decreto tamen, ut teneantur sive habitum aut professionem, sive Ordinem suscipere ex praescripto Canonum.

VI. Verumtamen Ordinarii nullum jus habent circa Beneficia certo alicui Monasterio affectata, ubi in commune vivitur: horum namque provisio pertinet vel ad Praelatum Regularem, vel ad Regulare Capitulum. Antonius Faber in suo Codice, lib. 1. tit. 2. definit. 65. Antonius Despeisseus tract. de benefic. tit. 1. num. 3. nisi (ut ibidem aiunt) tempore praescripto non fuisset de tali Beneficio provifus, & jus ad Ordinarium devolveretur.

VII. Secundò dividi solent Beneficia in simplicia, quibus non est adnexa administratio, vel Clerus, vel populus: & duplicia, quibus aliquid horum adnexum est.

VIII. Tertio alia Beneficia curata, alia non curata dicuntur. Curatis inest vel jurisdicção erga Clericos, quæ cura spectat ad tribunal exterius: vel jus inest administrandi Sacramenta, quæ cura est interni fori.

IX. Quarto distribuuntur Beneficia in Dignitates, Personatus, & Officia, quæ sic exponit Glossa in cap. 1. de consuetud. in 6. ut Dignitati affixa sit Ecclesiastica administratio cum jurisdicção supra Clerum: tales sunt Episcopatus, Abbatia, Decanatus, Præpositura, Archidiaconatus. Personatui cohaeret præminencia supra Clerum sine jurisdicção, ut in Præcentore, Primicerio, Sacrista primario. Officio demùm inhaeret administratio sine ulla jurisdicção & præminencia: hujuscemodi sunt Canonicatus, Præbenda Theologalis, & Præceptorata, Thesaurarii, Custodis seu Sacristæ inferioris officium, atque Oeconomi.

X. Quintò in manualia, quæ ad collatoris arbitrium revocari possunt, de quibus agit Clement. unica de suppl. neglig. Prælat. & non manualia, quæ adimi non possunt, nisi certis de causis à Jure statutis, ut sunt delicta, irregularitates. Negat Rebuffus ulla esse in Gallia Beneficia manualia.

XI. Sextò in electiva, quæ per Clericorum, sive Secularium, sive Regularium suffragia; & in collativa, quæ per absolutum Prælati arbitrium; & mixta, quæ ad Patronorum nominationem, seu presentationem attribuuntur à Prælato.

XII. Sicut autem paulò ante plenius explicavi jura, tum communia, tum distincta inter secularia & regularia Beneficia; similis hoc loco instituenda est tractatio, primùm quidem de distinctione Beneficiorum inter titularia & commendata: deinde de Beneficiis tam actu, quàm habitu curatis. Itaque conferri Beneficia solent in titulum, quando scilicet ad vitam, & cum plenitudine juris conferuntur: vel in commendam, si solius administrationis, aut custodiæ causâ conferantur. Ulterius possunt duobus modis Beneficia in commendam conferri: vel namque id fit in utilitatem Ecclesiæ, vel in utilitatem Commendatarii. Si fiat in utilitatem Ecclesiæ, non permittit Jus commendam istam ultra sex menses prorogari; quin etiam præcipit, ut Commendatarius rationes reddat fructuum commendati sibi Beneficii, cap. *Nemo*, de election. in 6. habetur enim pro sequestro, qui est reddendis rationibus obnoxius, cap. *fin.* de sequestratione.

XIII. Ubi autem Episcopus Ecclesiam Parochialem commendat, eo quòd ejus Rector sit mente captus vel absens, nullo relicto Vicario vel Coadjutore, potest Episcopus talis Ecclesiæ Commendam conferre, donec amentia

amentia vel absentia durabit, quanvis ultra semestre; etiamsi duratura esset tota Reſtoris vita. Ubi verò commendatum est Beneficium ad solam Commendatarii utilitatem, potest ea commenda esse perpetua, id est ad omnem ejus vitam. Perpetuo Commendatario omnia ferè jura permittuntur, quæ Titularibus competunt. Possunt enim de commendato Beneficio transigere, fructus ad plures annos locare, & eosdem alienare, cum sint eorum domini. Possunt quoque permutare cum Beneficiis alteri in Titulum collatis, ut docet Rebuffus in praxi, tit. de Commendis, num. 53. Possunt quoque perpetui Commendatarii à Papa (ad quem duntaxat pertinet perpetuarum Commendarum collatio) provisi circa Beneficia non Consistorialia, id est quæ neque sunt Episcopatus, neque Abbatia, de quibus Papa providere solet in Consistorio; possunt, inquam, coram Ordinariis eadem commendata Beneficia resignare, si sint eorum collationi subdita, modò non resignent in favorem, aut sub conditione, Rebuffus d. tit. de commendis, num. 51. Bleinianus lib. 3. tit. 8.

XIV. In Regno quoque Gallia per Commendatarii perpetui obitum vacat Beneficium, & ita impetratur ac si fuisset in Titulum, ut locis citatis docent Rebuffus & Bleinianus: etiamsi alibi ex Jure communi, defuncto Commendatario non dicatur vacare per obitum, ut neque deposito per depositionem, aut resignante eodem per resignationem; sed cessare Commendam, novamque fieri Beneficii impetrationem, eo solo modo vacantis quo vacabat antequam commendaretur: hoc tamen adjuncto, quod vacare in Romana Curia perhibetur, quanvis ante Commendam verè vacasset extra Curiam, & apud Ordinarium. Cujus rei rationem allegant Canonistæ, quia per eam manus appositionem, quæ contingit per commendatum à Papa vel Legato Beneficium, remanet affectum & reservatum ipsi Papæ. Sed quia in Gallia reservationes ad Romanam Curiam sublatae sunt, Ordinarius circa istud commendatum Beneficium vacans uti potest jure suo: Beneficium tamen istud ab Ordinario collatum desinet à Commenda, pristinumque titulum resumet.

XV. Possunt similiter perpetui Commendatarii, quemadmodum & titulares, præsentare, eligere, conferre in Beneficiis à commendata sibi Ecclesia dependentibus.

XVI. Itaque in alterius Beneficii impetratione tenetur perpetuus Commendatarius istud commendatum sibi Beneficium exprimere, perinde ac si haberet in titulum: alioqui fiet irrita impetratio. Ruzeus tract. de Commendis, quæst. 7. Rebuffus loco cit. n. 52.

XVII. In Gallia Regno, sumpta possessione per Commendatarium æquè ac per Titularem, regalia clauditur. Qui plura de Commendis exquireret, consulat superiùs lib. 1. sub tit. *Quatenus sit licitum ad alteram Religionem transitus*, articulis 5. 6. 7. & 8.


XVIII. Circa divisionem porò superiùs adductam Beneficiorum curatorum

curatorum & non curatorum, sciendum est, curata alia esse actu, alia solo habitu. Contingit enim plerumque, ut ob bellum, pestem, aliamve ingruentem calamitatem Ecclesia Parochialis prorsus deserta fiat, Parochianis partim morientibus, partim aliò commigrantibus: & tunc Ecclesia derelicta, dicitur habitu & non actu curata. De hujusmodi habitum solo curatis Beneficiis quæritur utrum legibus omnibus actu curatorum Beneficiorum subjiciantur? Resolvit negativè Rebuffus 2. p. praxis, tit. de non promot. ante ann. num. 34. ubi docet, tales provisos de Ecclesia solo habitu curata non teneri ad Sacerdotium intra annum promoveri, nisi ex quo regressis jure postliminii Parochianis, Ecclesia curam actualem recuperaverit. Addit Bleinianus lib. 3. tit. 2. num. 42. & 43. si post prædictum annum recuperatæ actualis curæ provisos aliud Parochiale Beneficium habeat, non posse citra Papæ dispensationem utrumque retinere.



CAPUT II.

*Diversa & necessaria temporum præscripta
servanda in re Beneficiaria.*

- I.  N primis observare tempora convenit electionibus primùm, deinde electionum confirmationibus constituta. Nulla verò canonica actio tanti videtur esse momenti ac electio. Cùm enim Ecclesiæ status, animarumque salus aut exitium ex bonis malivè ministrantium Clericorum qualitatibus dimanet ac diffluat; Ministri autem Ecclesiæ per electionem provideantur, electio fons & principium est omnis ferè boni aut mali advenientis in Ecclesia. Hoc egregiè admonet S. Papa Gregorius Magnus in lib. 1. Regum, ad hæc Samuelis verba, *Quæsit sibi Dominus virum juxta cor suum, & præcepit ut esset Dux super populum suum, dum ita scribit: Quæsisse virum Deus dicitur, ut eligendorum Aristinum forma hominibus præbeatur. Deus enim, cui nihil est absens, nihil latens, non dicitur quæsisse virum ut absentem aut absconditum; sed quæsisse dicitur, ut omnis qui ad Sanctæ Ecclesiæ culmen eligitur, discutendus ab hominibus esse doceatur: sed quæri debet secundum cor Dei, ut videlicet non solum divinam voluntatem intelligat, sed bonis operibus ostendat.* Hactenus S. Gregorius.
- II. Canonica electio nihil juvat, nisi eligentium vota superioris approbatione confirmetur. Debet verò electus, ut rata fiat electio, eisdem consensum

consensum præbere intra mensem à die notitiæ computandum; & post consensum confirmationem prosequi intra tres menses, ne longior vacatio fiat Ecclesiæ dispendiosa, ut sancit Concilium Lugdunense Generale sub Gregorio Papa X. & allegatur cap. *Quàm sit Ecclesiis*, de election. in 6. Non est autem à Prælato electio confirmanda, nisi diligenter discutatur electi conditio, ut sapienter admonet S. Leo Papa Magnus epist. 85. ad Episcopos Africanos, & citatur cap. *Miramur*, dist. 61. Electio porrò necdum confirmata imperfectum duntaxat jus electo tribuit ad rem, sed nullum jus in re, nisi post confirmationem. Ideoque veratur ante confirmationem ministrare; aded ut si ministret, sive per se, sive per alium, sive in parte, sive in toto, privetur eo ipso per electionem quæsito jure, ut definit præfatum Concilium Lugdunense citatum in cap. *Avaritia*, & dict. cap. *Quàm sit Ecclesiis*, de election. in 6. Quod idem antiquiora quidem jura constituerunt, cap. *Qualiter*, cap. *Nosti*, & cap. *Bona memoria*, de election. in antiquis.

III. Sicut præfinitum electioni & confirmationi tempus, ita & collationi Beneficiorum præfixum quoque tempus internoscendum est, quod est semestre auspicandum à die notitiæ vacationis, juxta caput *Licet Magister*, de suppl. neglig. Prælat. & cap. *De multa*, de præbend. & cap. *Quia aiversitatem*, de concess. præbend. Quo lapsò termino secundum Lateranense sub Innocentio III. Concilium, jus conferendi ad superiorem devolvitur.

IV. Quod dixi de electione & confirmatione, hoc idem ob rationis omnimodam paritatem censendum de eo, cui absentis & nescientis collatum fuit Beneficium, ut scilicet mensem habeat à die notitiæ decurrendum, ad præstandum collationi consensum, tresque insuper menses ad sistendum se Prælato, edendamque Fidei professionem, & ineundam Beneficii possessionem. Collationem namque Beneficii non est necesse fieri Clerico præfenti, sed potest absentis, alio mediante, conferri, juxta cap. *Accedens*, de præbend.

V. Provisionem Beneficii sequitur proximè immissio ad provisi Beneficii possessionem. Istud enim sollicitè curandum, ut collatio Beneficii præcedat summptionem possessionis; alioqui namque possessio ista erit mera intrusio, excludetque possidentem ab hujusmodi provisione ex postfacto, cap. *Cum jam dudum*, de præbend. & ibi Panormitanus. Rebuffus in praxi, tit. de missione in possessionem, num. 8. & 9. Et inconcussa est regula 1. Juris in 6. *Beneficium Ecclesiasticum non potest licitè sine institutione canonica obtineri.*

VI. Mandatarius quando duo Beneficia per unius prædecessoris obitum vacant, si mandatum Pontificium clausulam exprimit motus proprii, decem dies habet ad electum utrum è duobus velit acceptare, cap. *Si pluribus*, de præbend. in 6. Mandatarium hîc illum intellige,

in cujus gratiam Papa mandatum de providendo Beneficio indulfit. Sed in Regno Gallicano mandatarius requirere non potest, ut sibi conferatur ante finitum præsentationis mensem, ut observat Rebuffus in praxi, p. 1. tit. de Devolutionibus, num. 2. & probat hisce Concordati verbis, sub tit. de forma mandati: *Si quod Beneficium post mensem postquam presentes littera vobis præsentata fuerint, extra Romanam Curiam vacare contigerit.*

VII. Canonibus conceditur annus ad Sacerdotii promotionem Clerico proviso de Curato Beneficio, quo elapso non promotus expellendus erat per sententiam à Curato Beneficio, cap. *Cum in cunctis*, de elect. Sed jus recentius, cap. *Licet Canon*, eod. tit. in 6. decernit absque sententia vacationem ipso jure. Caterùm annus non currit adversus legitimè impeditum. Neque in Gallia prærequisitus ille ad promotionem Sacerdotii annus decurrere incipit, nisi finito pacificæ possessionis anno. Vide hanc materiam uberius à me tractandam hujus secundi libri titulo, *Diversi quidam vacationis Beneficiorum modi discutiuntur*, art. 9. 10. & 11.

VIII. Is qui præbendam optandi jus habet, intra viginti dies optare debet, cap. fin. de consuetud. in 6. Rebuffus in praxi, tit. de Devolutionibus, num. 3.

IX. Patronus laicus intra menses quatuor præsentare potest; Ecclesiasticus verò Patronus intra sex menses, cap. *Eam te*, de jurepatr. & cap. unic. eod. tit. in 6.

X. Majores verò Dignitates, ut Episcopales, & similes, debent intra tres computandos à notitia vacationis menses conferri, cap. *Ne pro defectu*, de election. & cap. *Postquam*, distinct. 56. Rebuffus loco citato, num. 4.

XI. Alia inferiores dignitates, & quælibet Beneficia concedi regulariter debent intra sex menses, sive per electionem, cap. *Cum nostris*, cap. *Dilectus*, & cap. *Postulastis*, ubi Panormitanus & alii, de concess. præbend. sive per collationem, cap. 2. eod. tit. & tam à primo collatore, quam ab alio, in quem id jus devolutum fuerit. Rebuffus loco citato, num. 4. & 5.

XII. In institutione verò & confirmatione, quoad confirmantem certum tempus nullum est Canone præstitutum. Glossa & Doctores in cap. *Cum in cunctis*, §. 1. de elect. Idemque in permutatione Beneficiorum, quoad approbationem. Rebuffus ibid. num. 6.

XIII. Prægitur quoque semestris ad ineundam possessionem Beneficii in Romanæ Curia resignati: sed si resignatum sit extra Curiam, ineunda est possessio intra mensem, ut si tempore illo contingat mors resignantis, valeat ipsa resignatio. Cateroqui enim emenso illo præfixo tempore post resignantis interitum, censetur Beneficium vacans jam non per resignationem, sed per obitum, juxta receptam in Gallia regulam de resignationibus

nibus publicandis. Atque utinam adversus istius regulæ mentem nunquam in Galliam invecta consuetudo fuisset Beneficium hac mente in alterius favorem resignandi, ut resignatario liberum sit differre possessionem ad triennium, duobus minùs diebus, ut resignans per omne id tempus integris proventibus perinde potiat, ac si nunquam resignasset; & tamen sic teneat illa resignatio, ut ab ea is qui resignavit, resiliere non possit. Id quidem si ex mutua conventione fiat, nullâ obtentâ Romani Pontificis dispensatione, manifestam involvit realem simoniam & confidentiam. Quis enim ignorare possit omnem in hujusmodi privatorum ex propria auctoritate pactionibus conditionem, conventionem ac legem, simoniacam esse: cap. *Cum pridem*, & cap. *Pactiones*, de pactis: cap. *Constitutus*, cap. *Super eo*, & cap. *Præterea*, de transact. Si neges ullum intervenisse pactum reale, sed sola mente hoc intellectum, ut resignatario ex scriptis formis sua tuta, & inconcussa maneret resignatio, qui tamen gratuitâ & liberali voluntate differendo possessionem, fructus Beneficii suo dimitteret benefactori: verumtamen saltem mentali simoniæ, & fiduciariæ conventioni dabitur locus, fraudulentæque interveniet collusio, quæ utrumque reddet Beneficio inhabilem. Resignanti enim nullum superest jus ad Beneficium ejusque stipendia, ex quo ejus est à Superiore admissa resignatio, cap. *Ex transmissa*, cap. *In presentia*, & cap. *Quidam*, de renunciat. Resignatarius verò Ecclesiæ graviter præjudicat, tamdiu, & mala fide illam legitimo Ministro orbam relinquens: & sic uterque se sacri ministerii inhabilem, & indignum exhibet, in Ecclesiæ detrimentum & scandalum. Ubi hæc abusus invaluit, quam diversis Senatusconsultis, ipsaque Ludovici XIII. dictâ *du Contrerolle*, articulo 17. & 20. Constitutione fulciri volunt Papo lib. 3. tit. 1. num. 6. & 8. Pastor lib. 3. tit. 8. num. 6. Mosnier aux Alliances du Droit François, tit. *Benefice*, num. 89. hoc ipsum tamen observatur, ut si resignans præmoriatur ante initam possessionem, aut si supervivat quidem resignans ultra biennium, sed resignatarius omiserit possessionem saltem biduo ante triennii finem, tam resignans, quàm resignatarius Beneficio prorsus excidant, vacetque istud, sitque impetrabile titulo præsumptæ collusionis, & simoniæ.

XIV. Denique in universo Galliarum regno, si quis de duobus incompatibilibus Beneficiis sit provisus, annus illi conceditur ad deliberandum utro ex duobus se abdicet. Jure quidem communi vacabat olim per Constitutionem Lateranensem ab Alexandro III. Concilii posterius quæsitum Beneficium, cap. *Quia nulli*, de Cler. non resid. Sed posterior Juris communis dispositio satius duxit, ut vacet priùs acquisitum Beneficium, cap. *De multa*, de præbend. Clem. *Si plures*, & Clem. fin. eod. tit. & deinum Concilium Tridentinum sess. 7. cap. 4. de reform. Indulti verò in Gallia, ad alterum quod libuerit dimittendum, anni pacifici assertores sunt Rebassus tit. *De non promotis intra annum*, num. 45. & 46. & tract.

de pacif. possessor. n. 205. Antonius Faber Cod. de sacros. Eccles. definit. 2. Louetus lit. G, num. 5.

XV. Ubi agitur de Beneficio Capitulari, sive Collegiata, sive Cathedralis Ecclesie, non censetur resignatarius satisfecisse regulæ de publicandis resignationibus, nisi literas provisionis suæ Capitulo exhibuerit tempore in ipsa regula ordinato, argum. cap. *Cum Ecclesia Vulterana*, de electione.

* XVI. Quæritur intra quod tempus debeat nominatus vel Graduatius petere Beneficium vacans sibi conferri? Doctores Gallicani semestrem assignant, intra quod Ordinarius conferendi potestatem habet, cap. 2. de concess. præbend. & Patronus Ecclesiasticus præsentandi jure potitur, quemadmodum laicus intra tres menses, cap. unic. de jurepatr. in 6. Hæc docent de Graduatibus Joan. de Selva part. 3. quæst. 64. & Rebuffus tract. de nominat. quæst. 20. In præfatis tamen & aliis juribus tempus non currit adversus impeditum aut ignorantem rei factum, cap. *Quia diversitatem*, de concess. præbend.

XVII. Quod ex decreto Concilii Lugdunensis sub Gregorio X. refertur in cap. *Licet Canon*, de elect. in 6. vacare Beneficium curatum ipso jure, esseque impetrabile si accidat eum qui illo provifus erat, distulisse post annum suam ad Sacerdotium ordinationem: hac tamen exceptione limitatur, si sic provifus dispensatione fuerit præmunitus (quam idem Concilium declarat posse à proprio Episcopo indulgeri) ad vacandum studiis per certos annos ab eodem Ordinario præfinitos. Nummodo septennium non excedatur, & dummodò intra primum annum Subdiaconi Ordinem suscipiat, ne in fraudem Ecclesie, postquam Beneficii fructus perciperit, abscedat à Clero. Dilapso verò sive ad Subdiaconatum, sive ad Sacerdotium præfixo termino, conditione non adimpleta, vacabit ipso jure Beneficium. Quamdiu verò præfixus terminus in suspenso erit, Prælati incumbet officium providendi probum & idoneum Vicarium, qui ex eisdem Ecclesie proventibus in absentis Titularis vicem administret. Hæc statuuntur omnia cap. *Cum ex eo*, de elect. in 6.

XVIII. Resignatio Beneficii in vim resignatorii seu procuratorii mandati facta, post emensum anni curriculum expirat, ut Edicto Codicis Ludovici XIV. cautum est anno 1651. Aprilis 19. cui præluserat Tolosanum Senatusconsultum anni 1644. Quinetiam Romanam Cancellariam consuevisse hujusmodi mandata ut irrita post anni lapsum rejicere, testatur Rebuffus in praxi, tit. *De procuratoris ad resignandum consuetudine*, num. 18.]



CAPUT III.

Quibusnam competat jus providendorum Beneficiorum.

I. **I**N primis Summus Pontifex jus habet duplex circa Beneficiorum Ecclesiasticorum collationem; potest enim jure preventionis quaelibet per universam Ecclesiam Beneficia conferre, eoque titulo anticipare quaelibet inferiorum Prælatorum collationes, easque sequutas facere inanes & irritas, cap. *Proposuit*, de concess. præbend. & can. *Cuncta per mundum*, 9. quæst. 3. Secundò idem, & solus potestatem habet Beneficia quæcumque conferendi vacantia in Romana Curia, cap. *Licet* 2. de præbend. Quorsum verò extendatur in his casibus *Romane Curia* significatio, docet apertè caput *Præseni* 34. eod. tit. in 6. his verbis: *Præseni declaramus Ediçto, Statutum felicitis recordationis Clementis Papæ prædecessoris nostri de Beneficiis apud Sedem Apostolicam vacantibus per alium quàm per Romanum Pontificem minimè conferendis, locum habere in Beneficiis quæ Legati, aut Nuncii Sedis ejusdem Apostolicæ, vel quivis alii ad Romanam Curiam venientes, vel etiam recedentes ab ipsa, obituere noscuntur, si eos in locis vicinis ipsi Curia mori contingat, quemadmodum si in loco ubi eadem Curia residet, mortui fuerint. Idem est si aliquis Curialis (etiam Ecclesia Romana vacante) peregrinationis, infirmitatis, aut recreationis, sive alia quavis causa ad locum Curia vicinum secedens, in hujusmodi loco vicino decedat: dummodo ibi (etiamsi erat ad ipsam Curiam reversurus) ejus domicilium, seu domus propria non existat. Loca verò vicina intelligantur eidem Curie in præmissis, quæ remota ultra duas dietas legales (quas hoc casu sic volumus specialiter computari) à loco ubi moratur ipsa Curia, non existant. Sanè si quis in loco ubi degit Curia, sua originis domum habens, diem cædatur extremum in ea, ipsius Beneficia non aliter sub prædicto includantur Statuto, quàm si Curialis esset antea, & ibidem occasione Curie moraretur. Porrò cum Curiam transferri de loco in locum contingit, si Curiales in itinere (dum Curiam sequuntur eandem) vel in loco unde recedit ipsa Curia, forsitan remanentes infirmi, rebus inibi eximantur humanis, præmissum Salutum (quantumcunque locus ubi decedunt, ab ipsa Curia sit remotus) ad illorum Beneficia se extendit. Hujusce Constitutionis duo loca, in quibus subesse possent difficultas, rectè exponit Glossa ibid. Primò domum propriam hîc pariter intelligendam esse de domo sibi cum aliis communi; idque probat aliis conformibus ad hanc rem juris locis. Secundò dietam legalem exponit constare viginti milliaribus, juxta legem *Vicensa millia*, D. si quis caution.*

Q 3

II. Porrò

II. Porro sunt Beneficiorum provisiones in Romana Curia per Signaturas, quæ sunt in duplici forma, scilicet in forma Gratiola, & in forma Commissoria, quæ vulgò dici solet in forma *Dignum*. Is qui provifus est in forma gratiola, non est obnoxius posteriori examini per proprium Ordinarium faciendò; quia Signaturam formæ gratiolæ jam præcefferat ipfius Ordinarii ad Papam fcripta attestatio de supplicantis idoneitate. Ideoque Signatura gratiola habet claufulam: *Orator testimonio Ordinarii fui de vita, & moribus, ac idoneitate commendatur*. Signatura verò in forma *Dignum*, non confert Beneficium, fed mandat Ordinario ut conferat. Sic autem vocari folet propter claufulam fpecialem, quam habet his verbis: *Dignum arbitramur & congruum*. Rurſus duplex est Signatura in forma *Dignum*, ſcilicet Noviffima, & Antiqua. Noviffima ſolum mandat collationem Beneficii, & examen idoneitatis Oratoris. Sed antiqua mandat pariter Ordinario, ut inquiret, ſi Orator relatum Apoſtolice Sedi crimen commiſerit, propter quod fit Beneficio fruſtrandus; & ita requirit novam cauſa per Ordinarium cognitionem. Denique Ediſti Bleſenſis art. 12. ſtatuitur nullitas provisionis, & locus devoluto aperitur, ſi Ordinarius ſuum apponens (quod dicunt) *Viſa*, ad Signaturam in forma *Dignum*, non meminerit à ſe facti de impetrantis capacitate examinis: & hoc jus ſervatur inviolabile in cauſarum beneficiarum judiciis Gallicanis. Vide Olivam *lib. 1. quaſtionum, cap. 16.*

III. Cardinalibus quoque jus competit amplum conferendi quæcumque Beneficia ab Eccleſiis Titulorum fuorum dependentia, & ea pariter quæcumque dependent ab aliis Monafteriis, Abbatibus, Eccleſiis, Dignitatibus etiam Conſiſtorialibus, quæcumque ab ipſis Cardinalibus poſſideri etiam in Commendam contigerit, ſive illa ſint regularia, ſive ſecularia Beneficia, ſive ſimplicia, ſive curata, per expreſſum privilegium Bullæ Clementis VII. incipientis *Sanctiſſimus in Chriſto Pater*. Iſtud commune Cardinalibus privilegium uſque adedò amplum eſt, ut excludat præventiones Apoſtolicas, & Mandata, atque Expectativas, & reſervationes quæcumque provenientes ab Apoſtolica Sede. De hoc privilegio Sacri & Apoſtolici Senatus Procerum nuper ſcripſit in ſuo *Juris Eccleſiaſtici Specimine* Joannes Doviatus Pariſienſis Sacrorum Canonum Regius Profeſſor. Quinetiam hoc privilegium eſt antiquius, ut ex testimoniis liquet vetuſtiorum Canonistarum S. Antonini, Abbatis, Felini, Dominici, apud Azorium p. 2. lib. 6. cap. 25. quaſt. 5. Inſuper caput *His que*, de majorit. & obed. attribuit Cardinalibus ſupra Clericos Titulorum fuorum jurisdictionem Episcopalem. Vide tamen moderationem hujusmodi indultorum in Conſtitutione 37. Pii V. quæ incipit *Sanctiſſimus*: & aliam Gregorii XIV. in ſua Conſtitutione 19. quæ incipit pariter *Sanctiſſimus*: & aliam Pauli V. quæ ſimiliter incipit *Sanctiſſimus*.

IV. Episcopis quoque jus eſt vacantia Beneficia in ſuis Diœceſibus ſita

sita conferendi, cap. *Ex frequentibus*, de institutione. Aded ut Gallicani Authores Corasius in centuriis cap. 65. & Despeisseus de Beneficiis, tit. 1. num. 2. & Rebuffus in praxi, 3. p. tit. de simon. in resignat. à num. 27. ad num. 44. asserant Episcopum qui suam resignavit Dignitatem, jure adhuc conferendi potiri antequam successor ejus apprehenderit juridicam possessionem Episcopatus resignati, argumento legis *Meminisse*, in princ. D. de offic. Proconsul. ubi statuitur veterem Proconsulem valide adhuc administrare post datum sibi successorem, antequam successor advenerit in Provinciam Proconsularem. Neque potest vivente ac superstitute Episcopo resignante successor illius nondum apprehensa possessione beneficia ulla conferre; id enim jus adhuc soli ei competit qui abdicavit Episcopatum. Idemque judicium est de ceteris Prælatibus, postquam resignarunt, donec successor in possessionem missus sit. Ac præter jam citatos Corasium, Despeisseum, & Rebuffum illud asseritur ita judicatum in Senatu Parisiensi apud Charondam in suis Pandectis, lib. 1. cap. 12. & in Senatu Tolosano apud Mainardum lib. 8. cap. 5.

V. Si verò jam obierit resignator Prælati, aut si de Prælatura provisorius fuerit, etiam nondum apprehensa possessione Beneficia conferre; quia nemo præter ipsum hoc potest tanquam Ordinarius, & citra devolutionem aut præventionem: non utique mortuus, non etiam præcessor superstes canonicè depositus, utpote incapax & indignus. Verumtamen si electus Episcopus (idemque judicandum de eo, quem Rex apud Summum Pontificem nominaverit ad Episcopatum) non modò in possessionem missus non fuerit, sed quod prærequiritur, confirmationem aut provisionem à Papa nondum obtinuerit, nullatenus Beneficia conferre potest, cap. *Nosti*, de elect.

VI. Episcopus excommunicatus caret jure conferendi, cap. *Postulastis*, de Cler. excom. minist. nec solum ipse, sed etiam ejus Vicarius Generalis, quanvis ab omni censura immunis, ut definit cap. 1. de offic. Vicar. in 6. Qui enim per se non potest, nec per alium potest. Clement. *Religiosus*, de procur. Rebuffus 1. p. praxi, tit. *Requisita ad collat. benef. n. 1.* Despeisseus loco cit. n. 3.

VII. Episcoporum Vicarii Generales ex sua generali commissione non possunt Beneficia conferre, nisi id specialiter Episcopus concesserit eis, ut monet caput ult. de offic. Vicar. in 6. Idque servatur & in Gallia, ut testatur Guido Papæ decis. 374. n. 5. Ranchinus decis. 1. parte, conclus. 494. Antonius Faber in suo Codice, lib. 1. tit. 3. defin. 3. Verum hoc limitatur, ut etiam sine speciali conferendi facultate possit nihilominus in hoc Regno quilibet Vicarius Generalis instituere præsentatos à Patronis, eo quòd talis provisio non sit collatio libera, sed necessaria institutio. Atque ita judicatum in Parisiensi Senatu referunt Papon. lib. 2. Placitorum, tit. de provisionibus 9. art. 6. & Despeisseus loc. cit. num. 26.

VIII. Sciendum

VIII. Sciendum pariter de Vicario Generali facultate conferendi præmunito, quod si beneficium contulerit indigno, poterit Episcopus reparare, alteri digno idem Beneficium conferendo intra semestre. Rebuffus in praxi, 1. p. tit. *Forma Vicariatus*, n. 139. & seqq. idque fundat per caput *Si compromissarius*, de election. in 6. ubi compromissario indignum eligente, reddit jus ad compromittentes, ne alterius odio & culpâ prægraventur, nisi ipsi consensissent in personam indignam.

IX. Prælati quoque Regulares, ut Abbates, Priores claustrales, itemque Religiosorum Capitula jus habent Beneficia eorum jurisdictioni ac dispositioni respectivè subjecta conferendi, cap. ult. §. *Præcipimus*, de statu monach. Commendatarii quoque Abbates ac Priores eodem jure gaudent, si eis Commenda fuerit indulta, non solum ad custodiam & administrationem, sed etiam illimitatè ad ea quæ sunt muneris & officii spiritualis, sive ad tempus, sive ad vitam.

X. Capitulis quoque Beneficiorum quorundam competunt collationes, sive ipsis solis, sive conjunctim cum Episcopis vel Abbatibus suis. Sede quidem Episcopali vel Abbatiali vacante, non potest Capitulum Seculare aut Regulare Beneficia conferre solius Episcopi aut Abbatis collationi subjecta, cap. penult. ne Sede vacant. aliq. innov. & cap. 1. de instit. in 6. & cap. unico, ne Sede vac. in 6. Sede vacante potest statim Capitulum illa conferre Beneficia, quæ conjunctim ad collationem spectabant defuncti Prælati simul & Capituli; huic enim jus defuncti accrescit, d. cap. unico, ne Sede vac. in 6. Chopinus de sacra Politia, lib. 1. tit. 5. n. 9. Charondas lib. 1. Pandectarum, cap. 10.

XI. Instituire quoque potest Capitulum Sede vacante præsentatos à Patronis, cap. 1. de institution. in 6. & alias exercere collationes quæ sunt præsentis necessitatis: atque ita Mandatariis, & Graduatis, & nominatis conferre, & insinuationes nominum suscipere, juxta usum Galliæ. In his namque Collatores ordinarii non sunt liberi, sicut nec in Patronorum præsentationibus; sed tenentur nominatos quos Canones non excludunt, admittere. Et cum insinuationes nominum in hoc Regno fieri necesse sit tempore Quadragesimæ, si contingeret vacare Sedem tota Quadragesima, frustrarentur Nominati & Graduati toto illo anno. Probus in comment. ad Pragmaticam Sanctionem, tit. de collationib. §. *Item voluit*, verb. *Vicario*, Ranchinus p. 3. conclus. 73. Simili ratione potest pariter Capitulum admittere Sede vacante resignationes. Deselva tract. de Beneficiis, p. 2. quæst. 11. num. 2. Zerola praxis Episc. p. 1. verb. *Capitulum*, quæst. 5.

XII. Quod verò attinet ad collationes liberas, plerique negant licitum esse Capitulo Sede vacante se his ingerere, sed esse reservandas futuro successori. Alii distinguunt, posse quidem conferre curata Beneficia, ne vacent diutius in periculum animarum; sed negant posse Capitulum conferre simplicia, in quibus tale periculum non imminet; istaque esse reservanda successori,

successori, qui vacantem Sedem Episcopalem replebit. Cæterum Beneficiorum etiam simplicium vacatio diuturnior non caret periculo; intermittitur enim etiam hac parte Divinum Officium, & ubi annexa est fundatarum Missarum, aliorumve obsequiorum ac ministeriorum fundatio, frustrantur longiore tempore piæ Fundatorum intentiones. Rebuffus in praxi Benef. r. p. tit. de Devolutionibus, num. 77. & 78. huic damno occurrit asserens his casibus posse per Capitulum provideri per Commendam, sed non in Titulum; idque fieri debere quoties vacat Beneficium curatum, quod magis urget quàm simplex, ob ministerium animabus impendendum: & posse, si post semestre adhuc vacet Beneficium, prorogari ultra semestre illam Commendam auctoritate Capituli. Sed quidquid sit de vacantibus simplicibus Beneficiis, saltem quoad curata Beneficia potest Capitulum, dum vacat Episcopalis Sedes, saltem in hoc Franciæ Regno providere Parochiis, conferendo eas in Titulum potius quàm in Commendam, ut affirmant Gallicani Doctores in praxi hujus Regni exercitatissimi, Bengueus tit. de modis acquir. benef. §. 16. num. 18. 19. 20. & 21. & Chenutius in collatione Decretorum, p. 1. cap. 4. qui ambo multa proferunt Gallicana Senatusconsulta, per quæ summoti fuerunt provisi Apostolici à Beneficiis curatis, & confirmata fuerunt jura provisorum per Capitula Sede vacante. Ratio discriminis in hoc versatur, quia cum animarum cura sint gravissimi momenti, certum est Capitula ex pluribus Clericis sibi notis posse illos eligere, qui meritis excellent; quod tamen præstare non potest Summus Pontifex, ad quem recurrere solent eidem ignoti Clerici. In simplicibus porrò Beneficiis servare debent Capitula viduarum Ecclesiarum Cathedralium in hoc Regno Jus commune, cap. *Illæ* 2. ne Sede vacant. & cap. 1. de institution. in 6. quibus inhibetur Capitulo vacante Sede conferre Beneficia, quorum provisio ad solam Episcopum pertineret. Sciendum præterea, posse Capitulum Sede vacante recipere mutuas resignationes seu permutationes Beneficiorum, quia est quid necessarium, sicut institutio præsentatorum. Ita Rebuffus tit. de Devolutionib. num. 95. Zerola p. 2. verb. *Capitulum*, quæst. 7.

XIII. Nunc dispiciendum est intra quod tempus Ecclesiastica Beneficia conferri possint. Generalis & canonica regula est, conferenda esse intra sex menses computandos non à die vacationis eorum, sed à die quo notitiam vacationis eorum Collator habuit, vel habere debuit: ita ut si intra id tempus non providerit, collatio jure devoluti pertineat ad proximum Superiorem, cap. *Licet Magister*, de supplend. neglig. Prælat. & cap. *De multa*, de præbend. & cap. *Quia diversitatem*, de concess. præbend. Itaque si Capitulum intra id tempus conferre neglexit, devolvitur hoc jus ad Episcopum, cap. *Postulastis*, de concess. præbend. & cap. *A collatione*, de appellat. etiam si Episcopus ipse Capitulo interfuisset, non quidem ut Episcopus, sed ut Canonicus, ut ibid. decernitur. Si autem Episcopus neglexit

R providere;

providere; aut quod idem juris habet, providit quidem, sed de incapaci vel indigno, devolvitur judicium & provisio ad Metropolitanum, & ex hoc ad Primatem, & hinc ad Summum Pontificem, cap. ult. de supplend. neglig. Prælat. & cap. *Nulla*, de concess. præbend. Istud caput *Nulla*, ex Concilio Lateranensi sub Alexandro III. desumptum, constituit jus devoluti reciprocum inter Capitulum & Episcopum, altero amborum intra semestre non conferente. At in Regno Gallie devolvitur quidem jus Capituli ad Episcopum, sed non vicissim ab Episcopo ad Capitulum, sed ad solum Metropolitanum, ut tradunt Rebuffus in praxi, p. 1. tit. de Devolutionibus, num. 22. & 23. Brodeus ad Louetum, lit. R, num. 56. Chopinus lib. 1. de sacra Politia, cap. 3. num. 13. Præterea in hoc Regno unicus est Primas Lugdunensis, ad quem solum jus conferendi devolvitur a quibusdam Archiepiscopis. Rebuffus d. num. 23. & 24.

XIV. Si Ordinarius Beneficium non vacans falso rumore aut nuncio deceptus contulerit, non ideo excidit jure suo, sed idem poterit conferre beneficium, cum postea vacabit. Item si absens, cui Ordinarius contulerit, acceptare recuset, poterit idem Ordinarius alteri conferre, cap. *Si electio*, de elect. in 6. & cap. *Si tibi absenti*, de præbend. in 6. Rebuffus d. tit. de Devolut. n. 35. Collator enim non intendit conferre Beneficium, nisi re ipsa vacet; neque conferre nisi acceptaturo.

XV. Similiter Ordinarius si Beneficium patronatum sine Patroni consensu ignoranter contulerit, poterit postmodum à Patrono præsentatum instituere. Item si Beneficium vacans in mensibus Graduatum non Graduato contulerit, non prohibebitur idem Beneficium Graduato petenti conferre, tanquam conservator & exequutor privilegii Patronis & Graduatis concessi. Ita Rebuffus tract. Nominationum, quæst. 16. num. 13. & seqq. neque id præstat ullum impedimentum, quod de jure nullum sortitur effectum, cap. *Non præstat*, de regul. jur. in 6. Cum ergo prima illa collatio nulla sit ipso jure, nihil obstabit secunda, & juri consentaneæ collationi.

XVI. Quando per inferiorum Collatorum negligentiam jus devolutum fuit ad Papam, nunquam regreditur ad Ordinarios, quanvis Papa non contulerit intra sex menses. Rebuffus in praxi, 1. p. tit. de Devolutionibus. num. 5. Corasius in centur. cap. 47. Mainardus lib. 8. cap. 6. Aitque Pontifex Symmachus in cap. *Aliorum*, 9. q. 3. *Aliorum hominum causas Deus voluit homines terminare; sed Sedis istius Præsules suo sine questione reservavit arbitrio.* Similiter etiam Anterus Papa: *Facta subditorum judicantur à nobis, nostra verò judicat Deus*, can. *Facta*, 9. quæst. 3. Verum secus accidit in sola collatione Beneficiorum in Romana Curia vacantium: debet enim Papa conferre illa intra mensem datæ sibi notitiæ; quo exacto, si non contulerit, habet Ordinarius, intra cujus Dicecesim situm est Beneficium, potestatem illud conferendi. Id jus viget in Regno Gallicano, testantibus Corasio

in

in centur. cap. 47. Rebuffo comment. ad Concordata, §. 1. verb. *Papa*,
 verfic. *Intra sex menses*. Charonda in Pandectis, lib. 1. cap. 10. Mainardo
 lib. 8. cap. 6. Quinetiam hoc idem statuit Gregorius Papa X. in Concilio
 Lugdunensi, & refertur in cap. *Statutum*, de præbend. in 6.

XVII. Observandum postremò, non decurrere præfatos sex menses
 quandiu perdurat legitimum impedimentum. Antonius Faber in suo Co-
 dice, lib. 1. tit. 3. defm. 17. neque dum vacat Episcopalis Sedes, cap. penult.
 ne Sede vacante; his enim casibus non incurritur negligentiae culpa, ob
 quam locus devolutionibus aperitur; aded ut Innocentius Papa III. cap.
Quia diversitatem, de concess. præbend. sanciat semestrem nullatenus decur-
 rere tempore suspensionis Collatoris, quanvis ejus culpa contractæ; quia
 non potuit ei vitio verti negligentiae culpa, cum careret potestate.



C A P U T IV.

De datis à Rege Gallie Indultis ac Expectativis.

I. **P**OTITUR Rex Gallie circa Beneficia jure Indulti, seu
 Expectativæ gratiæ. Est verò Indultum Regium, rescriptum
 vel schedula, Gallicè *Brevet*, in favorem quorundam Offi-
 cialium. Hi sunt Supremus Regni Cancellarius, Præsides
 & Consiliarii Parisiensis Parlamenti, quibus mandat Rex in vim Papalis
 gratiæ, quam Eugenius IV. & Paulus III. Romani Pontifices Regibus
 Franciæ indulerunt, ut Prælati collatores singuli semel dumtaxat in vita
 Beneficio, cujus annui proventus, deductis omnibus expensis & oneribus,
 pertingant ad taxam constitutam. Ea porro taxa fuit hæcenus ducentarum
 librarum Parisensium. Verùm cum hæc summa pro dignitate personarum
 tenuior censeretur, Clemens Papa IX. eam demùm auxit ad sexcentas
 annuas libras. Secretarii quoque ejusdem Parlamenti, necnon Magistri
 libellorum supplicum, etsi nulla horum mentio fiat in rescripto Pauli III.
 ex usu tamen Franciæ fruuntur eadem gratia Indultorum Regiorum, quasi
 Supremæ ejusdem Curiae aggregata membra. Bengesus tit. de canonicis
 institutionum conditionibus, §. 4. n. 16.

II. Novissimè aucta sunt Indultiorum Regiorum privilegia. Cùm
 enim Pauli III. Bullà, quam in Niccensi Colloquio anni 1538. Francis-
 cus I. impetraverat, excluderentur Parisienses Senatores à quibuscunque
 Regularibus Beneficiis, nisi ipsi forent Regulares: & cùm plerumque non
 aliæ Præbendæ ipsis assignarentur à collatoribus quàm Parochiales tunc

temporis vacantes, quas acceptare munia Senatoria verabant: & demum cum nimium exilis & modicus videretur pro personarum dignitate librarum ducentarum annuus redditus, ad Regis Ludovici XVI. rogatum Clemens IX. per Bullam anni 1667. sextodecimo Calendis Aprilis, quam refert integram Joannes Doviatus in suo Juris Ecclesiastici Specimine, indulget Clericis Senatoribus, ut jure Regiæ nominationis possint in Commendam obtinere Regularia Beneficia antea commendata: Item ne ipsis Parochialia Beneficia collatores assignent: Postremo ne ulla Beneficia infra sexcentarum librarum proventum annuum acceptare compellantur. Statuit insuper, ut Indultarii post sibi collata sub titulo Commendæ Regularia Beneficia per ordinarios Collatores, teneantur intra octo menses novam Commendam à Sede Apostolica impetrare, & jura Cancellariæ Apostolicæ persolvere; alioqui vacabunt ea Beneficia, cessabitque præcedens ipsorum Commenda ipso jure: his quoque accedet obligatio fructus perceptos restituendi. His adjungit confirmationem ejus quod Paulus III. constituerat, nimirum collatores Cardinales eximi ab illa obligatione Beneficia conferendi Regiis Indultariis. Præterea cum Senatorum alii Clerici sint, alii laici, jus conceditur laicis, quibus Rex Indultum concesserit, ut possint loco sui nominare ad Beneficia pro suo arbitrio Clericum qui sit de Parisiensis Curia numero ac gremio, ut conceditur expressè per præfatas Pauli III. & Clementis IX. Literas.

III. Ubi simul concurrunt cum Indultariis Graduati, aut etiam cum Indultariis Apostolicis Regii Indultarii, servandus est hic ordo. Præferendi sunt Regii Apostolici Indultarii: sed Regii Graduatos Universitatum quoscunque excludunt, juxta Francisci I. Edictum anni 1541. Utrobique enim æquum est inferiorem dignitatem eminentiori cedere, juxta cap. *Hi qui*, & cap. *Si à Sede*, de præbend. in 6. Et hoc idem declaratur rescripto Pauli III. quoad concursum Apostolicorum aut Regiorum Indultariorum. Id rescriptum refertur integrum à Chopino lib. 1. de sacra Politia, tit. 5. num. 16. & in volumine primo rerum Sacri Cleri Gallicani, tit. de Indultis.

IV. Oblata sibi litigiosa Beneficia possunt recusare tam Indultarii quilibet, quàm Graduati; habentque jus alia non litigiosa requirendi. Chopinus d. tit. 5. n. 20.

V. Indultarii, tam Regii quàm Apostolici, qui utriusque dicuntur quoque Mandatarii, ob mandatum de providendo, nullum jus habent ad Beneficia per resignationem aut permutationem vacantia, cap. unico, de rerum permut. in 6. & cap. 2. de renunciat. in 6. & Clement. unica de rerum permutat. Concilium Viennense sub Clemente V. Neque ad ulla Beneficia patronatus laicalis, can. *Decernimus*, 16. quæst. 7. Concilium Trident. sess. 25. cap. 9. de reform. Quibus juribus neque Papa, nisi ex gravi & urgente causa, neque Rex derogare possunt. Ratio in promptu est de
indultis.

indultis Regiis : cùm enim hæc mandatis Apostolicis successerint , in quibus cavetur de immunitate juris patronatus laici , eodem quoque jure circumscribi debent. Præterea mandatis , ac indultis non sunt obnoxia Dignitates electivæ. Clement. 1. de præbend. Rebuffus in praxi , tit. de claufulis mandatorum , num. 33. Idque postremò decernitur Caroli IX. Edicto anni 1569. artic. 2. quo simul eximuntur Præbendæ Theologales , Præceptorales , atque Pœnitentiariæ à juribus Indultariorum & Graduatorum. De Graduatistamen contrarius usus invaluit circa Præbendas Theologales.

* VI. Circa Regia Indulta quæritur de Consiliariis Curia Parisiensis, qui ex vi Regii Indulti simul quoque provisi sunt de Ecclesiastico Canonatu. Isti quidem dum serviendo Curia ministeriis absunt à Choro, fruuntur quidem Præbendarum suarum proventibus seu fructibus, sed privantur distributionibus Chori, quæ non nisi assistentibus in Choro perfolvendæ sunt. Ad hæc confirmanda multa proferuntur Curia supremæ Parisiensis judicia, quæ referuntur à Loueto & Brodeo ejus Scholiaste lit. C. cap. 24. Quando tamen vacant à Curia, si Choro intersint, lucrantur distributiones. Idem juris fuerat olim attributum Regalis Capellæ Cantoribus per Diplomata Clementis VI. & Pii II. ut fructibus potirentur suarum, in quibus provisi sunt, aliarum Ecclesiarum; sunt tamen privati manualibus distributionibus quandiu à Choro absunt aliarum, quibus aggregati sunt, Ecclesiarum, ut inserviant Regia Capellæ. Sed cùm per vices inserviant Capellæ Regia, quo tempore desunt ipsorum ministerii vices, tenentur aliarum Ecclesiarum Choro interesse, alioqui distributionibus frustrantur, nec eas faciunt suas. Idque statuitur Edicto Melodunensi Henrici III. cap. 7. *Cantores, inquit, nostra Capella, postquam servitii nostri tempus expleverint, teneantur residere, & actu inservire in Beneficiis & Præbendis quarum habent provisionem, sub poena jactura fructuum Præbendarum & Beneficiorum residentiam exigentium.*

VII. Quilibet in Gallia Beneficiorum collator non potest Regio indulto plusquam semel gravari in vita sua : & postquam semel ex indulto contulerit, jus habet quemvis posteriorem indultarium repellendi. Capitula verò cùm non moriantur, possunt unico, & non amplius, indulto gravari ad singulas Regum mutationes, ex Constitutione Henrici II. anni 1550.

VIII. Stylus in praxi iste servatur. In primis fit significatio Regia nominationis (quam vocant *Brevet de nomination*) ab indultario seu mandatario, aut (ut vulgò dicunt) Brevetario, vel ab ejus procuratore, Notario præsentate cum duobus testibus, qui subscribunt processui verbali, in quo apponitur acceptatio, vel alia quæcumque fuerit responsio Collatoris, cui fuerit significatum. Postmodum adveniente congruentis Beneficii vacatione, fit peculiaris eidem Collatori sub iisdem formulis altera significatio.

catio, cum requisitione vacantis Beneficii: qua requisitione jus acquiritur ad idem quod vacat Beneficium. Debet verò istud indultum postremò insinuari apud Tabularium publicum Ecclesiasticum: quod ita necessarium est, ut per magni Consilii Regii placitum decisum fuerit, hujus insinuationis omissione vitari totam nominationem, ejusque effectum præpediri. Tarradus disp. 3. quæst. 10. num. 26. Ex quo facta est secunda ista significatio, non potest Papa deinceps prævenire, cum jam res integra non sit ob præviam Regiæ manus appositionem. Rebuffus in Concord. rubrica de mandatis Apostolicis, §. *Declarantes*, vers. *Jure preventionis*.

IX. Ubi quæque non præcesserit significatio, sive mandati Apostolici, sive indulti Regii, sive nominationis, aut Gradus Universitatis, nullum in rem jus acquiritur, cap. *Tibi qui*, de rescript. in 6. cap. *Si clericus*, de præbend. in 6. Peleus lib. 1. Actuum forensium, art. 6.

X. Mandata Apostolica, & indulta Regia, quavis fuerint collatori significata, non annullant quidem posteriorem Beneficii vacantis factam alii collationem, hæc enim collatio tenet: sed collator compellitur providere mandatario aut indultario de pensione aequalis redditus cum illo inoffensivè collato Beneficio, donec illi alterum primum vacaturum congruum Beneficium contulerit, cap. *Inter cetera*, & cap. *Dilectus*, il. 1. & cap. *Dilectus*, il. 2. de præbend. Sicque judicatum à Senatu Parisiensi refert Louetus lit. P, tit. 6. Haud ita pridem jura Regiorum Indultorum pro Senatoribus aliisque Officialibus Parisiensibus annem Ligerim non transiiebant; sed jam totà Regni ditione diffunduntur.

XI. Alterum recensetur Regiorum Indultorum genus pro felici ad Regnum adventu, Aulicorum ambitio & adulatio jus istud introduxit; cui novæ introductioni Senatus Parisiensis plerumque fortiter intercessit, existimans satis detractum Ecclesiæ fuisse per Regaliam & Indulta in favorem suorum Officialium constituta, nec patiens alios concurrentes ac rivales, per quos Beneficia, ad quæ aspirant, sibi detrahi possint; ideoque novum istud Indultarium genus frequentibus Senatusconsultis submovit ac repulsi, ut testatur Brodeus in Louetum lit. P, tit. *Præbenda felicis ad Coronam adventus*. Bordenaus lib. de Curiis Ecclesiasticis, cap. 1. num. 28. & 33. Mornacius ad l. 4. §. 4. D. de officio Proconsul. allegantes Parisiense Senatusconsultum solennius in Togis purpureis, Januarii 7. anni 1616. præsidente Verduno, conformiter ad requisitionem Advocati Regii Lebret, contra petitorum Canonatus Constantiensis; & aliud ejusdem Senatus, Decembris 13. anni 1612. quo fuit exclusus alter Indultarius fundatus super prima vacatione post exhibitum Regi ab Episcopo sacramentum fidelitatis: contra hunc conclusit Regius Advocatus Servinus, eoque requirente repulsus fuit petitor à Baionensi Canonatu. Circa duo ista indultorum genera pro felici ad Coronam adventu, & pro præstito per novum Episcopum sacramento fidelitatis, diversa, sibi quæque invicem pugnancia prodierunt Senatusconsultis,

tusconsulta, prout nunc petitorum gratia & favor, nunc ipsa petitionis iniquitas Judices in contrarios sensus impellebant. Ipseque Louetus profert Parisiensia aliquot judicia duorum illorum generum indulta confirmantia. Sanè Aulicorum avaritia & ambitio, nisi reprimantur, Ecclesiam miserrimè dissipabunt, novasque adhuc artes ultra jam commemoratas excogitabunt, pro nuptiis Regiis, pro natalibus Primogeniti Francia, aut etiam insequentium liberorum; pro nova victoria, aliaque in infinitum.

XII. Regis indulta, quemadmodum mandata Apostolica expirant, illa Regis, hæc verò Pontificis morte, à quibus fuerat concessa gratia expectativa, cap. *Si super gratia*, de offic. delegat. in 6. cap. *Si cui*, de præbend. in 6.



CAPUT V.

De Regiis ad Prælaturas nominationibus, & aliis juribus Concordati Bononiensis.

I. **C**ONVENIENTIBUS Bononiæ Leone X. Pontifice, & Francisco Franciæ Rege editum fuit amborum consensu quod vocant Concordatum, per quod abolitis in Regno Franciæ electionibus communibus ad Prælaturas majores, & rejectis Basileensis Concilii Decretis, Pragmaticaque Sanctione, attributum est Regi Galliæ jus nominationis ad vacatura Regni Beneficia Consistorialia, Episcopatus, & Abbatias, de quibus Papa consuevit in Consistorio providere; eoque mediante privilegio Papa vicissim obtinuit à Rege earundem Prælaturarum annatas, quas exsolvi prohibuerant Synodus Basileensis, & ibi proculsa Sanctio Pragmatica, recepta pridem & approbata in eodem Regno per Concilium Nationale Turonense, quæ conformis erat celebri illi & antiquiori alteri Pragmaticæ Sanctioni, quam Sanctissimus Rex Ludovicus IX. ediderat, quâ districtè vetabat pecunias ex suo Regno ad Romanam Curiam transferri.

II. Hoc Bononiense Concordatum mox approbavit sub eodem Leone Papa Concilium Lateranense. Itaque non potest Papa de illis Gallici Regni Prælaturis disponere ad libitum, sed solum in ejus gratiam, quem Rex nominaverit, modò sit idoneus & capax. Secus verò agendo non admittetur collatio. Concord. tit. de Reg. ad Prælatur. nomin. §. 1. Et isti Regiæ nominationi locus est, sive vacet Prælatura per obitum, sive per resignationem, sive per juridicam depositionem. Ne verò diutiùs Prælaturæ vacent, illi quos Rex nominaverit, tenentur obtinere Pontificiam provisionem intra novem

novem menses à notitia habita ipsius nominationis ; aut saltem probare tenentur suam ad impetrandas provisionis Bullas diligentiam, alioqui caduca & irrita evadet nominatio, juxta Henrici III. Edictum in Comitibus Blesensibus, art. 5. & aliud Edictum anni 1580. art. 12.

III. Regi sex conceduntur menses ad nominationem, computandi à die primùm vacantis Ecclesie. Sed si nominatus judicetur indignus, ideòque repulsam patiat à Papa, relinquuntur adhuc Regi tres menses recensendi à die significatæ à Papa repulsæ, intra quos poterit aliam personam magis idoneam nominare. Rebuffus in Concord. d. §. 1. verbo *Provideri*. Id officium si Rex negligat, tum demùm Papa conferet cui libuerit, d. tit. Concord. de Reg. ad Prælat. nomin. §. 1.

IV. Ceterum si Prælatura Gallicanæ vacent per obitum in Curia Romana, tum demùm potest Papa, non expectatâ Regis nominatione, pro suo arbitrio conferre personis, quæ nullatenus sint Regi suspectæ. Concord. d. tit. §. 1. Per vacationem in Curia Romana intelligitur etiam obitus Prælati in vicinia, sive Romanæ urbis, sive alterius loci, in quo existat Romana Curia. Hæc vicinia computatur duarum per circuitum dietarum, juxta cap. *Præsenti*, de præbend. in 6. Dieta verò computatur viginti milliarium, l. *Vicina millia*, D. si quis cautionib. ut observat Glossa d. cap. *Præsenti*.

V. At ubi vacabunt Prælatura Gallicanæ in Romana Curia aliter quàm per obitum, sed per resignationem, aliòve modo, non poterit Papa eo casu conferre, quàm per Regiam nominationem. Cùm enim sibi solè reservet Papa in Concordato absolutam facultatem sine Regia nominatione disponendi de Dignitatibus Gallicanis in Romana Curia per obitum vacantibus, in cæteris verò jus Regiæ nominationis salvum fore promittat; hinc sequitur ut si Romæ vacet Beneficium alia ratione quàm per obitum, jus Regiæ nominationis subsistat. Rebuffus in d. §. 1. vers. *Per obitum*. Duarenus lib. 5. de benefic. cap. 12.

VI. Sunt & aliæ pleræque Concordati conventiones, quæ in hoc Regno vim habent. In primis omnes antiqui Juris reservationes Beneficiorum ad Romanam Curiam, quæ multiplices in Jure Canonico leguntur, reducendæ sunt in hoc Regno ad solam in Romana Curia vacationem per obitum in Beneficiis Consistorialibus: in minoribus autem Beneficiis, etiam per resignationem, & per depositionem in eadem Romana Curia. Concord. tit. de reservationibus sublatis. In eodem Concordato, tit. de mandatis Apostolicis, præterea reservatur Papæ una expectativa gratia, seu mandatum Apostolicum unum de providendo erga Collatorem in Regno habentem sub collatione sua decem aut plura Beneficia usque ad quinquaginta. Erga verò habentem quinquaginta, vel plures collationes reservat sibi Summus Pontifex duo mandata quoscumque Graduatos excludentia. Sed Concordato posterius Concilium Tridentinum sess. 24. cap. 19.

cap. 19. de reform. abolet reprobaturque mandata de providendo, gratiasque expectativas & indulta. Alterum Concordati jus est, ut causæ omnes Ecclesiasticæ in Regno emergentes, absque citatione ad Romanam Curiam (exceptis majoribus) terminentur apud ordinarios locorum Judices. Tertio, ut non liceat provocare, nec ad Papam quidem, omisso medio Tribunali Ecclesiastico. Id conformatur Civilibus Legibus edicentibus gradatim appellari, l. *Præcipimus*, C. de appellation. & in Authent. de appellation. & intra quod tempus, §. ult. collat. 4. Jus verò Canonicum commune permittit saltum, omissoque medio appellari ad Papam, can. *Si quis*, can. *Omnes*, can. *Ad Romanam*, can. *Idem*, 2. quæst. 6. Quarto, ut irrita sit appellatio à gravamine in quacumque instantia ante sententiam definitivam, nisi tale sit gravamen, ut in definitiva sententia nequeat reparari. Quinto, ut si à Metropolitanò, aut alio Judice Papæ immediatè subdito appelletur ad Supremam Sedem, causa ipsa judicetur in partibus Regni per commissos à Papa Judices usque ad finem litis, id est usque ad tertiam conformem sententiam definitivam; nisi ob causam denegatæ justitiæ, vel ob justum in eo loco metum, quo casu committenda erit causa in partibus convicinis. Sexto, ut Judices à Papa commissi ac delegati causas in partibus terminent intra biennium, sub pœnis excommunicationis & priorum Beneficiorum privationis ipso facto incurrendis. Sanctæ tamen Romanæ Ecclesiæ Cardinales, & Romanæ Curie Officiales actu exercentes, licet in Galliæ partibus degant, suas poterunt causas agitare in Curia Romana, si judicio conveniantur Rei, & ad ipsam suas, quibus impetuntur, lites evocare. Hæc omnia statuuntur in Concord. tit. *De causis*.



C A P U T VI.

Jura Graduatorum circa vacantia Beneficia Regni.

I. **D**EUS pro summo beneficio pollicitus olim fuit Ecclesiæ suæ, Jerem. 3. *Dabo vobis Pastores, ut pascant vos scientiâ & doctrinâ.* Et sapientissimè loquitur à Deo inspiratus Propheta Malachias cap. 2. *Labia Sacerdotis custodient scientiam, & legem de ore ejus requirent, quia Angelus Domini exercituum est.* Quocirca Pragmatica Sanctio in Basileensi Concilio edita, & in Galliæ Regno à Rege Carolo VII. à Clero universo, & à Parisiensi Senatu recepta, providens ut eruditis viris Præbendæ conferrentur, permulta in favorem Graduatorum

S consti

constituerat, quæ post hujus Sanctionis abrogationem retenta sunt ac instaurata per Concordatum Bononiense, & in Lateranensi Concilio comprobata, sicut hic subjiciam.

II. Distinguntur Graduati in Simples & Nominatos. Nominati dicuntur, quos privilegio decoratæ Regni Universitates expressè ad vacatura Beneficia nominaverunt. Isti ergo debent tum has nominationis suæ literas, tum attestationem temporis studiorum suorum, tum etiam Literas Gradus sui Collatoribus exhibere. Graduati verò simplices sunt qui carent Universitatis, in qua studuerunt, nominatione, sed proferunt Collatoribus Literas Gradus sui, simulque temporis quo studuerunt attestationem. Et quidem utriusque generis simul comprehensis Graduatis affectatur tertia pars Beneficiorum vacantium, adeo ut non sit liberum Collatoribus ordinariis, aut etiam Patronis Ecclesiastici alteri cuiquam conferre, vel alterum præsentare instituendum. Secus est de laicis Patronis, quorum libertas manet intacta. Igitur quæcumque Beneficia his quatuor mensibus anni, Januario, Aprili, Julio, & Octobri vacant, solis conferuntur Graduatis, nisi horum aliquos vel Apostolici Mandatarii, vel Regii Indultarii (qui sanè jus habent ut Graduatis præferantur) excludant. Isti porò quatuor menses ita inter Graduatos distribuuntur, ut Januarius & Julius solis-Nominatis affectentur; Aprilis verò & October solis Graduatis simplicibus. Ita statuit Concordatum tit. de collationib. §. *Præfatique Ordinarii*.

III. Ex utroque parente Nobiles Clerici privilegio decorantur, ut sufficiat eis minus studiorum tempus, modò debitæ attestationibus hanc probent Nobilitatem. Sufficit enim illis triennio studuisse in ea Jurium Facultate in qua Gradum Baccalaurei sumpserunt: cum tamen in aliis Juris Civilis, aut Canonici Baccalaureis quinquennium studii exigatur secundum Ludovici XII. Regis Edicta anni 1498. artic. 5. & anni 1510. art. 8. 9. 10. 11. & 12. & Henrici III. anni 1585. ipsumque Concordatum tit. de collation. §. *Præterea*. Ubi etiam assignatur decennium studiorum in Magistris Licentiatæ, aut Baccalaureis formatæ in Theologiæ Facultate. At verò in Doctõribus ac Licentiatæ in Jure Canonico & Civili, aut in Medicina, septennium. In Magistris ac Licentiatæ Artium ab ipsa Logica inchoatorum, quinquennium. Excepto autem Jurium præfato Baccalaureatu, in cæteris omnibus Gradibus tam Plebei quam Nobiles Clerici pari jure gaudent.

IV. Quin etiam Beneficia curata locorum muratorum, quocumque anni mense vacant, non nisi Graduatis conferri possunt. Concord. tit. de collation. §. *Statuimus quoque quod Parochiales*: & Edictum Henrici III. anni 1585.

V. Inter plures Graduatos simplices jus habent Collatores mensibus ipsis affectatis præferendi cæteris quemcumque libuerit. Sed inter Graduatos

duatos nominatos necessitas eis incumbit præferendi eum qui prior fuerit nominatus. Concord. d. tit. de collat. §. *Statuimus quoque & ordinamus*. At si uno eodemque anno plures Graduati nominati concurrant, præferendi sunt Doctores Licentiatæ, & hi Baccalaureis. In diversis autem Facultatibus Theologi Doctores Jurium Doctoribus, & hi Medicinæ Doctoribus præferendi; sicut etiam Canonum Doctor Juris Civilis Doctori, utpote dignior, d. §. *Statuimus quoque & ordinamus*. Ubi etiam præferri jubentur Theologiæ Baccalaurei licentiatæ in utroque Jure, vel in Medicina; & Baccalaurei in Jure Magistris Artium.

VI. Requiritur quod attinet ad Graduatos nominatos, ut ipsis concessa nominatio fuerit ab Universitate tempore Quadragesimæ: aliis enim anni temporibus factæ nominationes nullius roboris sunt. Quo etiam Quadragesimali tempore necesse est tam simplicibus quàm nominatis Graduatis exhibere quotannis Collatoribus & Patronis Ecclesiasticis copiam Literarum Graduum suorum, & temporis studiorum attestacionem, necnon (si occurrat) Nobilitatis, & Literas pariter nominationis, easque insinuare. Quorum si quid neglexerint, jus suum pro anno illo amittunt, & aliis factæ collationes subsistunt. Quinimò si Graduato qui prædicta non exhibuerit, aut non insinuaverit statuto tempore, collatum fuerit Beneficium mensibus Graduatorum vacans, collatio illa rescindetur, juxta prædictas Ludovici XII. & Henrici III. Constitutiones, ipsumque Concordatum tit. de collat. §. *Præfatique*: Louetum lit. G, cap. 3. Despeisseum de benefic. tit. 3. num. 43. Porro præfata Nobilitatis attestaciones efflagitant quatuor testes, qui deposuerint jurati coram Judice ordinario loci nativitatæ, eoque absente qui se Nobilem prætendit. Concord. tit. de collation. §. *Cum verò*: & Henricus III. in dicta Constitutione anni 1585.

VII. Graduatis quibuscumque in ipsis etiam Beneficiis quæ Graduatorum mensibus vacant, præferuntur primò Mandatarii Apostolici. Concord. tit. de Mandatis Apostolicis, §. *Declarantes*: etiam postquam mandatarius Apostolicus primùm vacans Beneficium recusaverit, eo quòd incertum ac litigiosum esset; quòd Senatusconsultis Parisiensibus judicatum refert Chopinus lib. 1. de sacra Politia, cap. 5. num. 20. Secundò præferuntur quibuscumque Graduatis Indultarii Regii de Senatu Parisiensi assumpti, secundùm Francisci I. Edicta annorum 1541. & 1543. ut tradit Louetus littera B, num. 16.

VIII. Cessat quoque Graduatorum privilegium, si Papa rebus integris in Graduatorum mensibus prævenerit Collatorem ordinarium, alicui conferendo. Concord. tit. de mandat. Apostolicis, §. *Declarantes*. Cessat pariter si Graduatus Beneficium possidet reddens annuos ducentos florenos, Concord. quam summam Louetus lit. B, num. 1. exponit æquivalere ducentis nostri temporis nummis singulis trium librarum. Quam ob causam Graduati tenentur sub pœna nullitatis Beneficia quæ habent, eorumque


annuum valorem exprimere, quemadmodum & illi qui à Papa intendunt aliquod Beneficium impetrare. Concord. tit. de collation. §. *Volumus*. Cessat insuper Graduatorum privilegium in Beneficiis per resignationem aut permutationem vacantibus in mensibus ipsorum, d. §. *Volumus*. Eis enim sola reservantur quæ per obitum vacant Beneficia. Ranchinus Decisionum part. 5. conclus. 421. Despeisseus de Benefic. tit. 3. Denique cessat Graduatorum jus in Dignitatibus Ecclesiarum, tam Collegiatarum, quàm Cathedralium primariis, & in Præbendis Theologalibus, Pœnitentialibus, & Præceptorialibus, quas omnes eximi declarat à juribus Graduatorum & Indultariorum, omniumque gratiarum expectatarum, atque etiam à præventionibus Romanae Curiae, Henricus Rex IV. Edicto Maii anni 1596. art. 2. & alio Edicto Decembris anni 1606. art. 1.

IX. Tempus intra quod Graduati, tam simplices quàm nominati debent vacans Beneficium petere, sex mensibus terminatur: quibus exactis ab eodem Beneficio excludendi sunt, nisi per eos non steterit, legitimumque obstiterit impedimentum, juxta cap. *Quia diversitatem*, de concess. præbend. Deselva tract. de Benefic. part. 3. quæst. 64. Rebuffus de nominationib. quæst. 20. num. 1. & 2.



C A P U T VII.

De Jure Patronatus.

I.  UEMADMODUM mandatis Apostolicis, indultis Regiis, Graduatorum privilegiis, sic etiam Patronorum præsentationibus minuitur Collatorum ordinariorum libertas. Vacantem namque Præbendam juripatronatus subditam non potest Ordinarius alii conferre, quàm quem Patronus ei præsentaverit, modò non sit incapax ratione canonici alicujus impedimenti.

II. Neque etiam potest resignari in favorem, aut simpliciter resignatum Beneficium juripatronatus alteri conferri citra Patroni consensum, juxta constantem omnium Doctorum sensum, ut ait Azorius p. 2. lib. 8. cap. 8. quæst. 1. Excepto quod Papa & Legatus derogare possunt juripatronatus Ecclesiastico, sed non Laico, ut infra declarabimus.

III. Tribus modis jus patronatus acquiritur. Primò fundatione, per contributionem soli seu aere ad superædificandam Ecclesiam. Secundò ipsa Ecclesie ædificatione ac fabricâ. Tertiò dotatione ipsius Ecclesie, ut dicit Glossa in can. *Pie mentis*, 16. quæst. 7. Quanvis enim inconueniens sit tractari à laicis Ecclesiastica negotia, cap. *Quanvis*, de decimis; ipsa tamen

vult

vult Ecclesia hanc suis etiam laicis benefactoribus referre gratitudinem, hominumque ad hac pia officia voluntatem excitare, can. *Decernimus*, 16. q. 7.

IV. Dividitur communiter juspatronatus in Ecclesiasticum & Laicum, inter quæ tres interveniunt differentiæ. Prima in eo est, quia Patronis laicis Jura non amplius concedunt quàm quatuor menses ad præsentandum: at habentibus Ecclesiasticum Patronatum sex menses indulgentur, cap. unico, de jurepatron. in 6. Secunda differentia est, quia Patronis laicis conceditur variare ac retractare primam suam nominationem ad alterum præsentandum, sive quia Ordinarius primam ejus præsentationem noluerit admittere, cap. *Pastoralis*, de jurepatr. sive quia ipse Patronus sponte retractaverit, antequam prior à se nominatus fuerit institutus ac provisus: enimverò cessat resiliendi facultas post factam à Prælato institutionem, cap. *Quod autem*, eod. tit. & cap. 2. ut lite pend. nihil innov. in 6. Tertium demùm discrimen est, quia potest Papa, ejusque Legatus à latere propriâ autoritate de Beneficio vacante juspatronatus Ecclesiastici ad suum libitum disponere citra Patroni consensum; cum tamen hoc minimè possit citra consensum Patroni in Beneficio juspatronatus laici, cap. *Cum dilectus*, & ibi Glossa in praxi recepta, de jurepatron. Et absolutè juspatronatus laicum est id quod fundatur à laica persona, vel etiam ab Ecclesiastica persona, sed de bonis patrimonialibus, & non Ecclesiasticis; quod etiam debet in ipsa fundatione protestari.

V. Provisio Superioris ad Patroni præsentationem non dicitur propriè collatio, sed institutio; quia liberum ei non est de alia persona providere, nisi de præsentata, modò non sit incapax; & debet Prælati pro suo officio de moribus præsentati prudenter inquirere, ejusque examinare capacitatem. Sed si duo, pluresve Patroni diversas personas nominent, & sint æqualia horum suffragia, liberum est Superiori quem horum maluerit præferre; sed secundùm conscientiam debet præferre digniorem. Joannes Andreas, Panormitanus, Armilla.

VI. Tametsi Jure communi præsentatio quoque ipsa Patroni laici possit validè à Papa præveniri, dummodò per expressam clausulam Papa eidem derogaverit; hoc tamen non recipitur in Regno Franciæ, in quo recipitur & approbatur in ejusmodi casu appellatio tanquam ab abusu. Solaque præventio Patroni Ecclesiastici per Papam admittitur in hoc Regno, non tamen nisi cum clausula expressâ hujus derogationis; quæ quidem extra Galliam, & de Jure communi non est necessaria, nisi contra Patronum laicum. Charondas lib. 7. responforum, cap. 195. Bleinianus lib. 1. praxis, cap. ult.

VII. Patronus quantumvis Clericus aut Sacerdos ad Beneficia idoneus, non potest seipsum præsentare, cap. *Per nostras*, de jurepatron. Etenim debet esse personalis distinctio inter dantem & accipientem, cap. *Ad nostram*, de institution.

VIII. Regula discernendi juspatronatus Laicum ab Ecclesiastico hæc est. Si juspatronatus acquisitum fuerit contribuendo bona laica, seu patrimonialia in favorem Ecclesiæ, censetur laicum, etiamsi contribuens sit Clericus, aut etiam Sacerdos. Erit verò Ecclesiasticum juspatronatus, si de bonis Ecclesiæ quæsitum fuerit, quanvis Patronus sit laicus, ut contingere potest in Ecclesiarum Aeditis seu Matriculariis, Gallicè *Marguilliers*, aut in Officialibus quibus jus illud ex fundatione quæsitum fuerit; si tamen Rebuffo credendum sit lib. 1. praxis, cap. 14. num. 5. 6. & 7. mihi enim non videtur fundari posse hac in re juspatronatus: Matricularius enim est quidem administrator, sed non dominus rerum Ecclesiæ. At si juspatronatus sit mixtum, partim ex bonis laicis, & partim ex bonis Ecclesiasticis, quia favores sunt ampliandi, præsertim in casibus gratitudinis & remunerationis, favendum est illi parti in quam Jus majora privilegia censuit conferenda, ut liquet in Jurepatronatus Laico comparato cum jurepatronatus Ecclesiastico, minus quàm Laicum favorabili. Ideoque juspatronatus mixtum iisdem gaudere privilegiis, quibus merè Laicum, affirmant Parisius consil. 35. Rebuffus in praxi, tit. *Tertia pars signatura*: Melchior Pastor lib. 1. de Benef. cap. 19. num. 31. Nec refert si quis objectet majus dignum, qualia sunt bona Ecclesiastica, debere ad se trahere minus dignum, ut sunt bona laica, cap. *Quod in dubiis*, de consecr. Eccles. Hæc enim cessat regula, ubi minus dignum favorabilius est digniore: ipsaque Glossa in hoc cap. *Quod in dubiis*, verb. *Consecratio*, fundat contrariam propositionem in materia in qua versatur juspatronatus, quod cum sit sacrum, trahitur tamen ab ipsis profanis bonis cum quibus conjungitur; atque ita transit cum bonis profanis ad hæredes & successores.

IX. Tempus verò præsentandi in jurepatronatus mixto est sex mensium, sicut in purè Ecclesiastico. Ea est enim mutua privilegiorum communicatio, ut sicut jus Laicum tribuit juri Ecclesiastico patronatus, ut Papa vel Legatus illi derogare non possit; ita in hac eadem materia jus Ecclesiasticum tribuit juri laico patronatus semestre ad præsentandum; in quo tamen variare non liceat, ne jus mixtum majora sortiatur privilegia quàm jus merè laicum patronatus. Rochus de Curte tract. de jurepatron. §. *Septimò quæro*: Pastor d. l. b. 1. cap. 19. n. 9.

X. Fieri à Patrono præsentatio potest, vel immediatè per se, vel per procuratorem cum speciali mandato. Item per tutorem aut curatorem Patroni. Item per syndicum vel ceconomum, si juspatronatus ad Universitatem, vel ad Capitulum pertineat. Præterea per maritum patronæ uxoris, & per usufructuarium prædii vel hæreditatis, cui juspatronatus annexitur. Similiter & per colonum conductum ad longum tempus, cap. *Ex literis*, de jurepatron. Quinetiam per sequestrum. Deselva p. 2. quæst. 6. Loifellus de officiis lib. 5. cap. 2. Corasius in centur. cap. 48. Mainardus lib. 2. cap. 41. Despeiffus

Despeiffeus de Beneficiis, cap. 3. num. 23. Creditori autem, qui rem fequestrari fecit, presentare non permittitur, cap. *Cum Bertoldus*, de re judic. Et si proprietarius presentaverit, presentatus ab usufructuario venit preferendus. Idemque sentiendum de sequestro & possessore bonæ fidei, quoniam non tam proprietarius quam possessio in presentatione attendi debet, ex hac ratione, quia fructus sequuntur possessionem magis quam proprietatem; jus autem presentandi censetur in fructibus foundationis. Deselva p. 2. q. 7.

XI. Forma presentandi hæc est, ut presentatus, si fieri potest, exhibeatur Collatori: & si plures presententur à pluribus Patronis, debent omnes exhiberi, ut Collator ex illis eligat quem sibi visum fuerit. Ubi tamen presentatus non comparuerit, presentatio à Patrono, ejusve procuratore facta sustinebitur, si presentatus sit aliqui bene notus, & capax judicatus ab Ordinario. Riccius decif. 156. & 158. Post exhibitionem presentatio debet apud Acta Ecclesiastica insinuari.

XII. Licet Patronus seipsum presentare non possit, cap. *Per nostras*, de jurepatron. unus tamen Patronus, si plures sint, potest ab aliis Compatronis validè presentari, ut docet Glossa in cap. *Consuluit*, verb. *Concedant*, de jurepatron. idque probat argumento cap. *Cum in jure*, de elect. ubi approbatur electio quam plures compromissarii fecerunt in favorem unius de suo numero compromissarii. Panormitanus in d. cap. *Per nostras*. Potest etiam procurator à Patrono indefinitè constitutus ad presentandum prout ei visum fuerit, ipsum à quo mandatum habet Patronum presentare. Secus tamen si Patronus ipse seipsum in mandato designaverit presentandum; tunc enim perinde est, ac si seipsum immediatè presentaret. Riccius decif. 197. Pastor loco cit. n. 14.

XIII. Si plures ejusdem Capituli, Universitatis, vel Collegii jus habeant presentandi, debent collegialiter die constituta simul omnes convenire, & inter se de presentando Clerico convenire. Electus à majori parte cæteris est preferendus & instituendus, cap. *Quoniam*, de jurepatron. Si plures presentent tanquam unum collegium constituentes cum altero vel pluribus Patronis, illi qui presentant pro collegio, quanvis sint numero plures, unius tantum vocis suffragio gaudent. Idemque judicium est, si unius ac ejusdem familiæ, habitæ ratione stirpis unius ex qua universi descendunt, presentent, juxta Clement. *Plures*, de jurepatron. & cap. *Scriptum*, de election.

XIV. Possessio jurispatronatus acquiritur cum titulo colorato, & bona fide possessoris per præscriptionem, quam multæ presentationes effectum fortitæ roborarunt. Neque verò sufficit una & altera presentatio, etiam bonæ fide subnixæ, quicquid in oppositum scribant Loverus litera P. num. 20. & ex illo Pastor lib. 1. tit. 19. num. 17. si ante legitimam præscriptionem completam constet de vero alterius titulo. Quod enim nostrum est, sine

sine facto nostro ad alium transferri non potest, leg. *Id quod nostrum*, D. de regul. jur. Sic enim inferretur injuria vero Patrono aut absentis, aut proprium jus ignoranti, & deterrerentur homines ab Ecclesiarum foundationibus, si tam facile Patronorum jura præripi possent. Sed si præsentator jus illud non possidebat, verum per errorem existimabatur Patronus, debet is, qui ad ejus præsentationem institutus fuit, Beneficio privati, ut sancitur cap. *Consultationibus*, de jurepatr. & post tres continuatas electiones excluduntur à jure eligendi illi Clerici, qui tempore sufficienti non probant se præscripsisse, cap. *Cum Ecclesia Suvina*, de causa possess. & propr. Idemque censendum de collationibus Beneficiorum sine præsentatione factis, quæ nullatenus Patronorum juribus officiunt, quando superveniens Patronus jus suum ac titulum exhibet. Atque ita sæpius Aquilensis Senatus judicavit. Anno enim 1652. Martii 18. ad petitionem Patronorum nomine Pellencorum Richardus Assius spoliatus fuit Beneficio sibi ab Episcopo Regiensi cõnato, qui bis illud idem aliis non præsentatis contulerat; remotoque Assio successus est Longius à Patronis præsentatus. Idemque Senatus anno 1632. Virolium ab Episcopo Cistaricensi provisum depulit Beneficio, instante Marchione Canilliaco Patrono, idque adjudicavit Cassagnio: tamen hoc ipsum Beneficium diversis vicibus fuisset ab Antistitibus Cistaricensibus collatum, nullo præsentante. Concilium item Tridentinum præclare statuit sess. 25. de reform. cap. 9. ubi de titulo non liquet, præterquam illius, quod omnem hominum memoriam excedit, & cui præterea suffragentur multæ indubitata præsentationes, quæ ab annis saltem quinquaginta fuerint effectum sortita. At verò illud forensè axioma, *In Beneficiis ultimum statum esse attendendum*, nihil juvat Loueti opinionem juribus allegatis & æquitati planè repugnantem. Ultimus enim ille Beneficiorum attendendus status supponit jus ambiguum, sed nullatenus præjudicat ubicumque titulus evidens ostenditur, ut constat ex cap. *Consultationibus*, de jurepatr. quod utique in causa ista est decisivum.

XV. In Gallia Regno possunt Hæretici tolerati, non per seipso, sed per Catholicos procuratores à se constitutos præsentare ad Præbendas, modò Patroni hæretici nullam certam personam præsentandam in mandato nominaverint vel designaverint, ex Regis Ludovici XIV. Edicto Julii 8. anni 1651. Bengueus de Beneficiis, tit. de oneribus Ecclesiarum, §. 6.

XVI. Certi quidam sunt casus, in quibus jus Patroni suspenditur, eique ad tempus derogatur. Primò si possessor Beneficii patronati sit expellendus ob defectum tituli, incapacitatem, non residentiam, assequutionem alterius Beneficii incompatibilis, delictum, aut aliam justam causam, non est expectandus Patroni etiam laici consensus, & valet derogatio,

gatio, tamen si jus patronatus ad Regem pertineat. Rebuffus in praxi, 3. p. tit. de signatura, num. 37.

XVII. Secundò si inter colligantes alter in alterius jus subrogetur in vim regulæ de subrogandis colligantibus, aut novæ provisionis, vel rescripti *si neutri, si nulli*, non desideratur Patroni, sive laici, sive Ecclesiastici consensus. Riccius decif. 150.

XVIII. Tertium casum ponunt Rebuffus & aliquot alii, si videlicet fiat permutatio de Beneficio patronato, inconsulto Patrono, tam Laïco quàm Ecclesiastico, valet, & potest Episcopus hujusmodi permutationes approbare. Rebuffus in praxi, tit. *Tertia pars signaturæ*, n. 40. Papo lib. 3. placitorum, tit. 9. n. 1.

XIX. Quartò si in Regalia vacet in hoc Regno Beneficium, poterit à Rege, vel ab æconomio Regio conferri sine Patroni Ecclesiastici, non tamen Laici consensu. Ut enim aiunt Pragmatici Gallicani, Rex utitur in Regalia non solum jure Ordinariorum, sed etiam Papæ. Renatus Chopinus lib. 1. de sacra Politia, cap. 7. num. 1. Brodeus Loueti Scholiafles in lit. R, num. 47.

XX. Non debet Ordinarius instituere præsentatum, nisi probè examinatum & exploratum circa doctrinam, mores & canonica impedimenta, cap. *Significasti*, de jure patron. Alioqui damnationem sibi acquirit, & tenetur Ecclesiæ læsæ damnum sarcire, instar Magistratus qui minùs idoneo tutelam pupilli commisit, l. 1. C. de Magistrat. conven. Hoc expressè docent à Rebuffo citati Ancharanus & Cardinalis in Clem. de ætat. & qualit. Angelus de Clavasio in verb. *Restitutio*: ipseque Rebuffus in praxi, tit. de præsentat. & institut. n. 10.

XXI. Præter jus præsentandi alia etiam jura Patrono competunt, honor nimirum præcessionis in Ecclesia patronata; & si ad inopiam vergat, modestè subveniendum est ei ab Ecclesia, cap. *Nobis fuit*, de jure patron. & 16. quæst. 7. can. *Contra*, & seqq. Potest etiam Patronus, si sit Clericus, de bonis Ecclesiæ rationes exigere, non autem si sit laicus, cap. *Cum & plantare*, §. *in Ecclesiis*, de privileg. & cap. *In Lateranensi*, de præbend. Pastor lib. 1. de Beneficiis, tit. 19. num. 35. Potest Patronus in Ecclesia apponere sua Insignia, & honestam sibi Sedem figere. Chopinus lib. 1. de sacra Politia, cap. 2. num. 5. Honor verò processionis quem Patroni sacri Canonones deferunt, can. *Pie mentis*, & can. *Frigentius*, 16. quæst. 7. & cap. *Nobis*, de jure patron. nihil aliud significat, nisi jus nominandi ac præsentandi, ut ex ipsis locis facillè colligitur, & rectè Glossa exponit in d. can. *Pie mentis*. Fundatoribus Ecclesiarum permittitur pro iis locis curam habere sollicitam, can. *Decernimus*, 16. quæst. 7. Nihilque vulgatius aut receptius his versibus apud Canonistas:

*Patrono debetur honos, onus, utilitasque:
Præsentet, præsit, defendat, alatur egenus.*

XXII. Jure successionis hereditaria juspatronatus ad heredes transmittitur, nullo habito sexuum discrimine. Glossa in Clement. 2. de jurepatronat. Et licet heredes succedant ex testamento, vel ab intestato ex æquis vel disparibus portionibus, tamen in jurepatronatus omnes æqualiter succedunt, nec pluris æstimatur suffragium ejus qui ex semisse vel ex dodrante, quam ejus qui successit ex quadrante vel uncia. Nam in juribus honorificis omnes æqualiter succedunt, quanvis portionibus dispare, ut de jure sepulchrorum definitur in l. *Vel quod*, D. de religiof. & sumpt. funer. Quando juspatronatus hereditarius est (quale esse semper præsumitur ubi nihil de opposito constat) heredes quidem succedunt in stirpes, Clement. *Plures*, de jurepatr. Si verò juspatronatus probatur gentilitium, succeditur à solis viris in capita, ut docet Sanlegerius tom. 1. cap. 32. num. 4. & 6. & 28. & seqq. idemque tom. 1. cap. 107. num. 4. & 5. & Franciscus de Roja, Antecessor Andegavensis in prolegom. ad tit. de jurepatron. cap. 19. circa fin.

XXIII. Patroni vel præsentant ut singuli, vel ut componentes collegium, seu Capitulum, seu quamlibet universitatem, cui juspatronatus sit adnexum. Si præsentent ut singuli, nihil necesse est ut vocentur simul, etsi plures existant. Sed si componant collegium cui juspatronatus adhæret, necesse est, ut collegii jure simul conveniant; & si contingat unum aliquem idèò absente, quia ab aliis convenientibus vocatus non sit, reliquorum simul deliberantium præsentatio, & quæ inde sequetur institutio viribus omnibus destituetur. Si tamen res adhuc sit integra, duretque adhuc tempus à jure præsentationi præfixum, potest adhuc huic defectui succurri, si Patroni collegiati ex condicito post canonicam singulorum citationem loco certo conveniant ad deliberandum ac eligendum; tunc enim si nemo sit, qui se non fuisse vocatum conqueri possit, etiamsi non omnes convenierint, his etiam absentibus reliqui collegialiter adunati validè eligent, & præsentabunt, cap. *Quod autem*, cap. *Cum autem*, & cap. *Pastoralis*, de jurepatr. Porro nominatio Patronorum non tribuit nisi jus ad rem, sed nullatenus jus in re, cap. *Cum laici*, de jurepatr. Ideoque non est sumenda Beneficii possessio, nisi post institutionem, seu provisionem, quæ jus in re ipsa quaritur, cap. *Cum laici*, de jurepatr. Rota in antiq. de jurepatr. decis. 7. num. 2. Abbas in cap. *authoritate*, num. 7. de institutionib. Lambertinus de jurepatr. lib. 2. p. 3. q. 1. art. 1. n. 1. Rochus de Curte de jurepatr. in verb. *Honorificum*, quæst. 60. n. 94. & seqq.

XXIV. Consuetudine quoque præsentandi acquiritur juspatronatus etiam quoad proprietatem, si accedat consuetudo usque ad longissimi temporis præscriptionem. Ad istam consuetudinem quatuor requiruntur. Primò titulus, saltem coloratus aut præsumptus ex enunciatis in aliis instrumentis, simulque bona fides; hæc enim duo simul efflagitantur, cap. *Si diligenti*, in fine: & cap. ult. de præscription. Secundò saltem duæ
vel

vel tres præsentationes, quæ præcesserint, cap. *Cum Ecclesia Surrina*, de causa possess. & propr. Tertio possessio continua, nec interpolata. Quarto legitimi temporis decursus, scilicet quadraginta annorum, cap. *Auditis*, & cap. *De quarta*, de præscript. & Concilium Trident. sess. 25. cap. 9. de reform. Sed si non constet de titulo saltem colorato, requiritur præscriptio temporis memoriam hominum excedentis, quæ hîc & in cæteris casibus instar tituli est, l. *Hoc jure*, §. *Ductus aqua*, D. de aqua quotid. & aest. Rochus à Curte de jurepatron. sub fin. Concilium Trident. loco cit. Ejusmodi verò possessio probanda est instrumentis tantum, & non testibus. Riccius decis. 224. Pastor lib. 1. de Benef. tit. 10. n. 14. Qui idem num. 16. allegat Senatusconsultum Curie supremæ Aquisextiensis anni 1637. quo exclusus fuit Clericus liberè ab Ordinario provifus, quanvis probarentur multæ aliæ similes ab Ordinario factæ ejusdem Beneficii collationes intra spatium excedens annos triginta; sed non probabatur quadragenaria præscriptio, ideòque lis adjudicata fuit parti à Patrono præsentatæ. Neque verò quadraginta, vel plures anni sufficiunt ubi extitit mala fides: nam possessor malæ fidei ullo tempore non præscribit, cap. *Possessor* 2. de regul. jur. in 6.

XXV. Ut verò futuris diffidiis providè obvietur, caveant Ordinarii ne ullas admittant præsentationes, nisi constet de jurepatronatus per titulum foundationis aut dotationis, aut per admiffas anteriores præsentationes, quæ titulum saltem probabiliorem comprobent. Et si plures existant Patroni, debet Prælatus singulorum præstolari consensum, qui utique non debet consueque prorogari, ut tempus labi periclitetur à Canonibus ad id præstitutum. Sin aliqui moram faciant, debet ad unius præsentationem instituere, neque ulterius expectanda erit absentium ratificatio, si convenienti tempore à die notitiæ vacationis siluerunt. Vivianus de jurepatr. & alii. Sed si adèd remotè distent, aut in incertis locis, ut inde notitia vix dari, vel haberi possit, potest Ordinarius statim ad præsentis nominationem, si sit nominatus idoneus, providere, ne devolutioni ex mora, longæque vacationi locus aperiatur, aut debitum Ecclesiæ ministerium retardetur.

* XXVI. Agitata sæpenumerò fuit quæstio, utrùm si Patronus ad Beneficium nominaverit Clericum absentem, aut qui in remotis jam è vivis excesserit, aut qui nominatus mox ante institutionem decessit, aut etiam qui vivens noluit sibi tale Beneficium conferri, liberum sit eidem Patrono alterum præsentare: hoc scilicet argumento, quia cum semel jure præsentandi functus fuerit, jus istud hac vice expiraverit, eo quòd Clementina unica de renunciat. affirmet illusionem & variationem maximè in personis Ecclesiasticis evitandas esse. Cæterum nulla potest hîc objici variatio vel illusio, sed tantum caducitas ex accidente quod nullatenus potuerat prævideri. Itaque jus nominandi cum nullum produxerit effectum,

revertitur ad Patronum, eique integrum perdurat. Quali etiam jure donatio non acceptata revertitur ad donantis personam, & legatum recusatum hereditati redintegratur. Et favet aperte cap. *Si tibi absenti*, de præbend. in 6. ubi deciditur, collatorem qui absenti aliquam præbendam contulit, posse alteri eandem conferre, ex quo constiterit, noluisse provifum illum acceptare. Quinetiam in materia ipsa præsentandi, si præsentatio effectum non sit sortita integrum, eidem Patrono remanere jus ad secundam præsentationem Canones aperte definiunt, ut constat ex cap. *In Ecclesia*, il. 2. de institut. & cap. *Transmissis*, fin. de jurepatr. & ibi Glossa: non enim, ait, præstat impedimentum quod de jure non sortitur effectum. Perspicue quoque docent Selva tract. de Benefic. part. 3. q. 47. & Rebuffus tract. de nominat. quæst. 17. num. 21. & 22. probantque Patronum non excidere jure alterius nominationis, si citra ipsius fraudem prior non successerit. Rebuffus ipse multiplex jurium inductione amplam fidem facit, id quod nulliter factum est, nullatenus esse computandum, sed pro non facto habendum.

XXVII. Notabilis quoque ac memoriae infigenda est decisio tradita in cap. *Consultationibus*, hoc tit. nimirum illum qui fuit institutus ad præsentationem ejus qui censebatur Patronus, non esse à Beneficio removendum, licet jus patronatus ab alio postmodum justo legitimoque judicio fuerit evictum. Simile quid statuit cap. *Querelam*, de elect. scilicet electo sufficere ad tenendum beneficium electione adeptum, ut doceat electorem fuisse tunc in quasi possessione eligendi, quanvis ex postfacto elector ille probetur jus eligendi non habuisse, eoque jure privatus sit. Sufficit enim qualiscumque possessio cum bona fide illius qui promotus fuit; unde orta sunt ista Juris axiomata: Legitimè factum non est rescindendum, licet in eum casum devenerit, à quo non potuit incipere. Et, Legitimè factum cum bona fide provisi prævalet, l. *Barbarius*, D. de offic. Prætor. & utique Barbarius ipse non ignorabat se servum esse fugitivum & capite minutum, quando Præturam capessivit.]



CAPUT VIII.

De præsentatione proprii filii, & de Prioribus seu Rectoribus Patronis.

I. **INDUBITATUM** quidem est, neminem Patronum posse præsentare seipsum, cap. *Per nostras*, de jurepatr. Exigitur enim personarum distinctio inter dantem & accipientem, cap. *Cum ad nostram*, de institutionib. Sed gravis est disceptatio, utrum Patronus possit

possit proprium filium ad Beneficium presentare ? Id negare videtur cap. *Consuluit*, de jurepatron. his verbis : *Cum Sanctuarium Dei jure hereditario teneri non possit, non debet aliquatenus sustineri, ut Clerici Ecclesias à parentibus suis fundatas proprià auctoritate derineant, aut laici filii vel aliquibus aliis concedant easdem.* Ipsa tamen in idem cap. Glossa, itemque Panormitanus ibid. & Consil. 2. p. cap. 96. affirmant posse à patre patrono filium presentari, neque ambos in Jure Canonico censerì unam eandemque personam, licet secus decernatur in Jure Civili, Instir. de inutilib. stipulat. §. 4. quia in bonis Ecclesiæ non dependet filius à patre, & sunt ea bona quasi peculium castrense, quod patri non acquiritur. Est enim Clericorum sacra militia, can. *Quicumque*, 77. dist. & can. *Presbyteros*, 16. quæst. 1. can. *Reprehensibile*, 23. quæst. 8. & cap. *Episcopus*, 4. de præbend. Ideoque docet Panormit. in d. cap. *Consuluit*, nihil acquiri patri ex filii proventibus Ecclesiasticis, quanvis adhuc existentis sub patria potestate.

II. Neque obstat dictum cap. *Consuluit*; loquitur namque de intrusione, *quæ sit propria auctoritate*: ibidemque negat, non solum propriis filiis, sed & aliis quoque posse hoc modo Ecclesias à Patronis concedi; quod utique non aliter intelligi potest, nisi hinc applicando verba eadem quæ paulò antè præcesserunt, *propria auctoritate*: secus verò per presentationem factam coram Ordinario, & hujus subsequantam institutionem. Non etiam obstat cap. *Quia Clerici*, eod. tit. quia disertè loquitur de parentibus qui pretio emunt Ecclesias patronatas, ut eas ad suos liberos transmittant: quæ quidem emptio simoniaca est hujus prohibitionis causa, non autem simplex filii qualitas. Glossam prædictam, & Panormitanum sequuntur Doctores Gallicani, Benedictus in cap. *Raynuius*, verb. *Mortuo itaque*, num. 58. p. 2. his verbis: *Pater & filius reverà sunt due persone: & inde est, quod pater Patronus potest filium, sed non seipsum presentare, secundum Glossam in cap. Consuluit, de jurepatr. licet alibi juris fitione censeantur eadem persona.* His adstipulatur Bengens tit. ult. num. 7. 8. & 9.

III. Plerique Rectores tanquam Patroni potiuntur presentandi jure pro subditis sibi Ecclesiis Vicarios etiam perpetuos ad earum ministerium & curam animarum obeundam, cap. 3. §. *In Ecclesiis*, de privileg. & excess. privil. & cap. 2. de supplend. neglig. Prælat. & cap. *De monachis*, & cap. *In Lateranensi*, de præbend. & cap. 1. eod. tit. in 6. & cap. ult. de capel. monach. in 6. Quæ tamen capitula omnia loquuntur de Rectoribus Regularibus habentibus sub se curatas Ecclesias; & non de Secularibus Rectoribus. Sed tamen hoc idem juspatronatus pertinet quoque ad Rectores Seculares habentes Dignitatem, Personatum, aut simplex Beneficium, cujus præbenda & fructus fundantur in Ecclesia Parochiali unita simplici illi Beneficio, Personatui, vel Dignitati, ut constat ex cap. *Exstirpanda*, §. *Qui verò*, de præbend. quod caput desumptum est ex Concilio generali Lateranensi sub Innocentio III.


IV. Sunt pariter alii primarii Rectores sub se habentes Parochiales Ecclesias & Vicarios, quorum origo fuit ex necessitate auxilii & succursus Ecclesie Matricis, multitudini & distantie plebis sufficere non valentis; quae fuit occasio novae aedificandae Ecclesiae, & Vicarii in ea constituendi. Sicque Matricis Ecclesiae Rector titulo insignitur Primarii, seu Prioris Rectoris, respectu geminarum quibus praest Ecclesiarum, Matricis & Filiae. Istius generis Rector vocatur in Jure Plebanus. Est enim Plebania Ecclesia Parochialis, ex qua dependent eidem subjectae Capellae, ac minores Ecclesiae, in quibus Vicarii sive ad tempus, sive perpetui constituuntur, cap. 1. ne Cler. vel Monac. in 6. Atque utrique Priorum generi competit ut plurimum tanquam Patronis honorariis jus praesentandi ad subditarum sibi Ecclesiarum Vicariatus.

V. Tria ergo in Jure legimus Priorum seu Superiorum Rectorum genera, quibus Parochiales Ecclesiae subjiuntur. Primum est Regularem, qui curam animarum non per se, sed per Vicarios exercent Seculares. Secundum est habentium Dignitates, aut Praebendas, quibus unitae sunt Ecclesiae Parochiales. Tertium est Plebanorum qui Matricibus Ecclesiis praeficiuntur. Hi omnes jus habent praecedendi in subditis Ecclesiis Vicarios in eisdem constitutos; non tamen habent jus ministrandi intra illas, hoc enim solis competit Vicariis. His tribus Prioratum generibus aliquando competit jus patronatus ad subditos Vicariatus, aliquando minime. Quibus vero competat vel non competat ut dignosci possit, consulendi sunt foundationum tituli quid innuant, aut quidnam particularis consuetudo ferat.



C A P U T IX.

Conditiones aliquot, ut quis de Beneficio provideatur, requisitae discutuntur.

- I.  XCOMMUNICATO quacumque majori excommunicatione neque conferre, neque recipere licet ullum Ecclesiasticum Beneficium; ejusque electio, praesentatio, institutio & collatio prorsus invalida est, cap. *Postulastis*, de Cler. excom. minist. Quo etiam capite scienter tali conferens a collatione Beneficiorum suspenditur, ut in eo puniatur in quo peccavit. Suspendi quoque neque eligere possunt, neque eligi, can. *Nos in hominem*, 9. q. 1. cap. *Cum dilectus*, de consuetud. & cap. *Cum inter R.*, & cap. *Per inquisitionem*, de election. & cap. *Pastoralis*, §. *Verum*, de appellat. cap. *Cum bona*, de aetat. & qualitat. ordin.

ordin. Atque etiam hæc locum habent in excommunicationibus occultis & toleratis. Veruntamen si excommunicatio vel suspensio posterior sit electione, præsentatione, collatione, non inducit Beneficii vacationem, decis. Rotæ 195. in novis. Gomefius tract. Expectativarum, num. 60. Covarruvias in cap. *Alma mater*, 1. p. §. 7. num. 4. not. 11. Bonacina de excommunicatione disp. 2. q. 2. punct. 4. num. 9. Idem tradunt Canonistæ, Felinus in cap. *Insuperatum*, de simon. Panormitanus in cap. *Cum Clerici*, num. 2. de pactis, Ugolinus de simon. tab. 1. cap. 19. & Gallicani Jurisconsulti Gregorius Tolofanus instit. benef. cap. 26. num. 2. Papo tom. 1. Notariorum, lib. 2. pag. 90. Pastor lib. 3. de benef. tit. 18. n. 17. Bengeus de simon. in Benef. num. 43. Aded ut caput *Ex literis*, de exceſ. Prælat. eum qui dum Beneficium possideret homicidii voluntarii factus est reus, simulque irregularis, non judicet esse ipso facto depositum, sed Judicis sententiâ esse deponendum. Singulas censurarum species infra lib. 4. discutiam.

II. Illegitimè nati Beneficiorum incapaces regulariter existunt; defectus quippe natalium irregularitatem inducit, cap. 1. & cap. ult. de fil. Presbyt. cap. *Cum in cunctis*, de election. Concilium Trident. sess. 22. de reform. cap. 20. juxta prohibitionem Deuteronom. 23. *Non ingredietur manzer, hoc est de scorto natus, Ecclesiam Domini*. Ab ista irregularitate solus Papa dispensat ad omnes Ordines, & universa Beneficia; sed potest Episcopus dispensare ad primam Tonsuram, & ad minores Ordines, necnon ad Beneficium simplex: nullatenus verò ad sacros Ordines, vel ad curatum Beneficium, cap. 1. de fil. Presbyt. in 6. Dubitat tamen Pastor, an valeat in Francia ista Episcopi dispensatio, lib. 3. de Benefic. tit. 25. num. 6. hæc sola ductus ratione, quia Bonifacius VIII. hoc constituit, cujus nomen Francis invisum est & odiosum. Veruntamen istam valere in Francia dispensationem, hujusce Regni Doctores indubitanter affirmant, quemadmodum & alias plerasque celebres Bonifacii VIII. Constitutiones. Ita Deselva Regius in Parlamento Parisiensi Advocatus de Beneficiis p. 3. quæst. 16. Rebuffus in praxi, p. 2. tit. de dispensatione circa natalia, num. 8. & seqq. Charondas lib. 10. responſorum, cap. 7. Despeisseus tract. de beneficiis, tit. 3. num. 66. aliique Gallicani Jurisconsulti.

III. Sed hoc unum disputant, an ista Episcopalis circa defectum natalium dispensatio locum habeat in Præbendis & Personatibus, non quidem Ecclesiarum Collegiatarum, in quibus supponunt valere, sed Cathedralium. Et in his quoque valere affirmant non modò exteri Doctores Archidiaconus, Oldradus, Jason; sed etiam Gallicanus Joannes Deselva loco citato. Negat autem valere Rebuffus loc. cit. num. 10. & 11. citatque pro sua sententiâ Decisiones Rotæ, & antiquam Glossam Pragmaticæ Sanctionis.

IV. Neque ipsis quidem legitimis filiis possunt conferri Beneficia immediatè antè ab ipsorum patribus possessa, cap. *Moyſes*, & cap. *Apostolica*.

lica, 8. quæst. 1. & cap. *Ad extirpandas*, & cap. *Dilectus*, de fil. Presbyter. ne videantur successiva, atque ita intra familias hæreditaria Præbendæ: solusque Papa potest contra jus istud dispensare, cap. *Dilecti*, cod. tit. Jam quæritur de nepotibus, an possint in Beneficium ab avo possessum succedere? Glossa in dicto cap. *Apostolica*, tradit illam de filiis prohibitionem protendi quoque ad nepotes, ne avorum Beneficia possideant. Idemque altera docet Glossa in cap. *Ad extirpandas*, vers. *Filii Presbyterorum*, de fil. Presbyter. His suffragatur lex *Liberorum*, & lex *Iusta*, de verbor. signif. quibus filiorum nomine comprehendi pariter nepotes decernitur. Idcoque Rebuffus in praxi, tract. de dispensat. super defectu natal. num. 25. & 26. excludit absolute nepotes, sicut & filios ab ejusmodi avorum beneficiis: citatque ad id confirmandum nonnullos Canonistas, atque sententiam rejicit quorundam nepotes admittentium, dummodò inter avum & nepotem vivat superstes pater: quæ tamen opinio sulcitur per §. *Suis autem*, Instit. de hæredum qualit. & differ. ubi deciditur nepotes non censerî nomine suorum hæredum respectu avi, quandiu vivit intermedius pater. Quam etiam circa Beneficia avita opinionem tuetur Glossa in can. 1. dist. 56. & Pastor lib. 3. tit. 26. num. 3. Cæterum Rebuffus huic oppositum propugnat non modò in praxi, sed etiam in tract. de pacific. possess. num. 277. quo loco multa profert ad hoc firmandum Curiarum Regni Supremarum Jûdicia.

V. Severior est Juris dispositio contra illegitimos quàm erga legitimos Sacerdotum filios; filiis enim legitimis interdicitur sola immediata in paternum Beneficium successio: at verò illegitimis prohibetur insuper quæcumque tenere Beneficium in eadem Ecclesia, in qua patres ipsorum aliud Beneficium habent. Aded ut dispensatio generalis illegitimos circa Beneficia non sufficiat, nisi specialem etiam à Summo Pontifice habeant ad hoc, ut possint tenere Beneficium in eadem Ecclesia, in qua ipsorum patres aliud Beneficium possident. Quæ tamen res permittitur à Jure communi liberis legitimis, cap. *Ad hæc*, de fil. Presbyt. Quin etiam Concilium Trident. sess. 25. cap. 15. de reform. arceat illegitimos non modò ab Ecclesiis in quibus patres eorum sunt de alio quopiam Beneficio provisî, sed etiam in quibus aliquod Beneficium patres habuerint aliquando, quanvis de præfenti nullum in ea habeant: nec illos in eisdem Ecclesiis quoquo modo ministrare permittit, ut paterna incontinentiæ memoria à locis Deo sacris longissimè arceatur.

VI. Si pater resignet suum Beneficium coram Papa in favorem filii sui legitimi, & hanc reciprocam patris & filii qualitatem in sua supplicatione exprimat, illius resignationis acceptatio habetur pro dispensatione, quia Papa de hoc præmonitus, sciensque nihilominus contulit: quemadmodum in Jure Civili dominus servum instituendo hæredem manumittere creditur, Instit. quibus ex causis manumit. §. 2. Ita judicatum fuit in Magno

Magno Regio Consilio in causa Blainorum patris & filii, cui Papa præmonitus de hac respectiva qualitate, ut ex supplicatione scripta constabat, de paterno Beneficio providerat post resignationem in favorem. Pastor lib. 3, tit. 26, n. 1.

VII. Licet Jus prohibeat filium immediatè in Beneficium paternum succedere, permittit tamen ex adverso, ut filio pater immediatè in idem Beneficium succedat. Rebuffus in praxi, p. 2. tit. de dispensat. super defectu natal. num. 29. Farinacius decif. p. 4. cap. 128. Despeisseus d. tit. 3. n. 84. tum quia nullibi hoc à Jure prohibetur; tum quia non præsumitur abusio aut inordinatus affectus, si turbato naturæ ordine pater liberis succedat, cum sit contra commune parentum votum, l. *Scripto*, §. *Non sic*, D. unde liberi, l. *Nam est*, D. de inoffic. testam. l. *Julianus*, §. *Denique*, D. si quis omis. caus. testam.

VIII. Etatis defectus reddit invalidam Beneficii collationem. In primis quod attinet ad Episcopatum, Synodus Neocæsarensis, can. 11. & Synodus Agathensis allegata in can. *Episcopus*, dist. 77. præterea cap. *In veteri*, & cap. *Cum in cunctis*, de election. prohibent ordinari Episcopum ante trigésimum ætatis annum. Quinimodò Justiniani novella 123. cap. 13. & 22. & Authent. *Presbyterum*, C. de Episcop. & Cler. edicit Episcopatum conferri non debere ante trigésimumquintum annum ætatis. Sed in Regno Gallia sufficit ad Episcopatum inchoatus annus ætatis vigésimus septimus, juxta Concordatum, tit. de Regia ad Prælaturas nominatione, §. *In monasteriis*, & Edictum Blesense Henrici III. art. 2. & ejusdem aliud Edictum mensis Januarii anni 1580. art. 12. Quoad verò Abbates sufficit annus vigésimusquintus, d. cap. *Cum in cunctis*, de election. Garcia p. 7. cap. 4. num. 41. Quæ omnia de anno inchoato intelligenda sunt. Rebuffus in Concord. loc. cit. §. 1. verb. *Constitutum*. In Dignitatibus, Personatibus, & Parochialibus Beneficiis annus vigésimusquintus inchoatus exigitur, d. cap. *Cum in cunctis*: idemque statuitur in Prioratibus Claustralibus habentibus curam annexam. Clement. *Ne in agro*, §. ult. de statu monach. Ubi tamen cura per Vicarium exercetur, sufficit ad Prioratum Claustralem annus vigésimus, ex d. Clementina, §. *Ceterum*. Attamen in Regno Gallia in quibuscumque Prioratibus electivis, etiamsi curam habeant annexam, annus vigésimus-tertius inceptus sufficit, juxta Concord. tit. de Regia ad Prælaturas nominat. §. *In monasteriis*, Rebuffus ibid. Et in Dignitatibus & Personatibus, quibus non incumbit animarum cura, sufficit annus vigésimus-secundus, ex Concilio Tridentino sess. 24. de reform. cap. 12. quod est pariter de anno incepto interpretandum, quanvis dicat Concilium, *Non minores viginti duobus annis*. Est enim receptum axioma in Jure, annum ceptum haberi in honore pro completo. Et in Parochialibus Ecclesiis Jus antiquum servatur, ut est, ut non conferantur ante vigésimumquintum annum inchoatum, nisi per

per Vicarium cura exerceatur, quo casu annus sufficit decimusquartus.

IX. In Beneficiis simplicibus, ut sunt Capellaniæ, sufficit septennium, non quidem inceptum (ut in magis honorificis Beneficiis paulò antè dictum est,) sed requiritur omninò completum, ut in Capellaniis, aliisque vulgò dictis, *Ad simplicem Tonsuram*, ut sunt quidam Prioratus ut vocant Rurales, qui nullatenus sonant in nomen Rectoriæ. Deselva 3. p. de benefic. quæst. 5. Rebuffus de pacif. possess. num. 175. Bengueus tit. de divis. benef. §. 29. num. 6. & 7. At verò in Beneficiis simplicibus, quæ in nomen Rectoriæ sonant, ætas requiritur annorum quatuordecim completorum: non enim censentur impuberes capaces curæ & obligationis, quæ exercitio talium Præbendarum adnectitur, cap. *Indecorum*, de ætat. & qualit. ordin. & cap. *Super inordinata*, de præbend. In Canonicatibus Collegiatarum Ecclesiarum requiritur & sufficit non quidem inchoatum, sed completum decennium. At in Canonicatibus Ecclesiarum Cathedralium & Metropolitanarum, annus est necessarius decimusquartus pariter completus, juxta Regulam Cancellariæ 17. Deselva loco cit. Rebuffus de pacif. possess. num. 178. etiam si Ecclesia Parochialis per Vicarium exerceri solita Canonicatui sit unita. Rebuffus in praxi, p. 2. tit. de dispensat. ratione æt. num. 2. Garcia de benefic. p. 12. cap. 2. num. 24. Et Bengueus loc. cit. §. 26. num. 49. simulque Louetus litera *E*, cap. 1. multa memorant Gallicana Senatusconsulta, per quæ declaratae fuere irritæ collationes Præbendarum Cathedralium impuberibus factæ. Hinc tamen excipiuntur collationes Regiæ in Regalia Sede Cathedrali vacante factæ in gratiam impuberum ad Canonicatus etiam Cathedralium Ecclesiarum, dummodò septimum ætatis annum compleverint, ut superius docui hujusce libri cap. 4. num. 8. At verò extra Galliæ Regnum Jus commune viget, neque attenditur ad ullum acquirendum simplex Beneficium ætas sive septem, sive decem annorum; sed juxta Tridentinum Decretum sess. 23. cap. 6. de reform. nullus ante decimusquartum ætatis annum. citra Pontificis dispensationem potest Beneficium obtinere.

X. Ex defectu Graduum quædam occurrunt ad Beneficia incapacitates. Atque in Galliæ Regno prohibetur esse Parochus oppidi murati quisquis vel Graduatús non est, vel Artium Magister, vel saltem qui triennium studii non compleverit, vel Theologiæ, vel Juris Canonici in aliqua Universitate. Concord. tit. de collationibus, §. *Statuimus*. Idemque statuitur circa omnes Cathedralium Ecclesiarum Dignitates, & circa saltem primarias Collegiatarum Dignitates, Ediçtio Henrici IV. anni 1606. art. 31. Ad Præbendam Theologalem, non tamen ad Præceptoralem exigitur Gradus Doctoris in Theologia, ex Ediçtio Aurelianensi Caroli IX. art. 8. & Blesensi Henrici III. art. 33.

XI. Pleraque alias incapacitatum species, sive ob censuras, sive ob irregularitates, & quibus casibus incurrantur, requirito inferius lib. 4.


XII. Alteram

XII. Alteram quoque ad Beneficium incapacitatem parit defectus Ordinis requisiti, sive ex præscripto Canonum, sive ex Statuto, sive ex Beneficii particulari fundatione: qua de re vide inferius hujusce lib. 2. cap. 19. quo diversi modi vacationis Beneficiorum discutuntur, num. 8. 9. & 10.



CAPUT X.

De Insinuationibus.

I.  IGET Edicta referre insinuationem omnium ad Beneficia Ecclesiastica quoquo modo pertinentium fieri jubentia, ut scilicet in tabularia Episcopatum, in quibus illa Beneficia sita sunt, referantur: procuraciones nimirum ad resignandum, sive coram Papa, sive apud Ordinarios; presentationes quoque Patronorum, concordata partium; pensionum sive constitutiones, sive extinctiones, Datarum attestationes, signaturas, examina, professiones fidei, collationes Præbendarum, ac literas beneficias, acta missionis in possessionem, & quascumque Beneficiarias provisiones. His adde literas Tonsuræ, singulorumque Ordinum, literasque Vicariatus, vel Officialitatis, præsertim potestatem Beneficiorum collativam. Item fundaciones, sive inter vivos, sive per ultimas voluntates, & alia pleraque cum diversis temporum ad singula horum insinuanda præfixorum designationibus, quæ continentur perplexis illis & quæstuariis Edictis ad legendas Clericorum pecunias proculis ab Henrico II. mense Martio 1553. & à Ludovico XIV. anno 1646. art. 6. Quibus etiam sub nullitatis pœna statuitur, ut procuraciones ad resignandum insinuentur antequam ad Papam, ad Legatum, aut Ordinarium referantur.

II. Si verò post mandatum, priusquam admissa fuerit à quocumque Collatore resignatio, ipse resignans revocet, debet hanc revocationem, re adhuc integrâ, vel procuratori, vel resignatario, vel collatori significare: alioqui resignatione semel admisa ob justam revocationis ignorantiam, resignator pristino suo Beneficio excidit, ut statuitur Clement. unica, de renunciationibus.

III. Insinuandum porro est apud Notarium Regium illius diocesis in qua situm est Beneficium, ad diligentiam provisi, aut illius procuratoris speciale mandatum habentis, intra tempus illo anni 1553. Edicto præstitutum. Literæ quidem Beneficiales, signaturæ ad Beneficia, vel ad pensiones, quæ in Romana Curia expediuntur, & concordata inter partes conventa, itemque Decreta Apostolica, quibus pensio vel constituitur, vel extinguitur: mandata quoque quæ procuratori sunt ad resignandum

vel ad consentiendum, vel ad insinuandum, intra semestre insinuari oportet cum ipso mandato ad insinuandum facto, juxta ejusdem Edicti articulos 5. 6. & 7. Et hæc quoad Romanam Curiam. Quæ verò apud Legatum in Regno, vel apud Ordinarium loci gesta sunt, insinuanda sunt intra bimestre, d.art.6. Sed si actuarius, seu notarius in eodem consistat loco, in quo literæ sive Legati, sive Ordinarii sunt concessæ, insinuatio fieri debet intra dies octo simul cum procurationibus, ab ipsa literarum data computandos, d. art. 3. Acta verò sumptæ possessionis intra mensem insinuanda sunt à die possessionis sumptæ computandum, art. 4. Literæ Vicariatus antequam Vicarius id officium ineat, art. 10. Literæ pariter Tonsuræ, Ordinumque requisitorum debent insinuari antequam acceptetur Beneficium, art. 19. Thevenens tamen ad Constitutiones Regias, tit. 28. testatur Edictum istud justè à bonis & æquis Judicibus despici, nisi urgeat aliqua fraudis, aut falsi suspicio adversus non insinuantem. Et Pastor ex hujus Edicti art. 3. infert concedi facilè in integrum restitutionem elapso tempore insinuationibus hujusmodi præstituto, dummodò jus alteri non sit acquisitum; atque ad hoc obtineri posse Literas Regias in Cancellaria, lib. 2. tit. 15. art. 10. & 11.

IV. Præterea est aliud in hoc Regno insinuationis genus, quo Graduati aspirantes ad Ecclesiastica Regni Beneficia astricti sunt. Qua de re superius tractatum est, sub titulo *De juribus Graduatorum*. Istaque fit insinuatio per actuarium, sive Apostolicum, sive Regium, duobus, tribusve accitis testibus, in tabulario ejus Diocæsis, in qua sita sunt ipsa, quæ Graduatus ambit Beneficia.



C A P U T X I.

*Beneficiaria quæstiones circa prælationem inter
simul concurrentes : Litigantium subrogationes :
Beneficiorum uniones : Unionum præscriptiones :
Beneficiorum divisiones : Beneficiorum in alium
statum mutationes.*

I. **S**I QUANDO plures de eodem Beneficio provisum fuerint, præferendus is est cujus provisio tempore præcessit, quanvis posterius provisus possessionem Beneficii prius altero adiverit. Id verò multoties judicatum fuit, tum in Regalia, tum in quibuslibet aliis beneficiis.

beneficiariis provisionibus, ut attestantur Leuret lib. 1. de supremo Dominio, cap. 16. Loifellus lib. 1. de offic. cap. 2. num. 53. & 54. Ferrerius quaest. 112. Brodeus ad Louetum lit. V. cap. 2. Atque ita constitutum est cap. *Eum cui* 7. de praebend. in 6. Itaque lex *Quoties*, C. de rei vindicat. quae praefertur, jubet eum qui prior possidet, non servatur in hac materia beneficiaria, in qua ut quis alteri praefertur, inspicienda est impetrationis Data, si sit anterior; non praesentatio, seu exhibitio provisionis, aut receptio. Verba Capituli sunt ista: *Eum cui Canonicatus alicujus Ecclesiae à Sede Apostolica est collatus, licet nondum sit in ea receptus, decernimus in assequutione Praebendae juxta suae provisionis ordinem omnibus praefertendum, quibus similis gratia postmodum in ipsa Ecclesia est concessa; licet isti primò suas literas praesentaverint, & primo recepti fuerint in eadem.* Ibi Glosa observat, ne quis in verbis cavilletur, collationem & provisionem in hoc textu pro una eademque re usurpari, & ita nihil esse inter illa discriminis.

II. Ubi plures de uno Beneficio provisus fuerint eodem die fuerint, praefertendus est ille, qui hora anteriore provisus est. Sed si expressa sit hora in una, non verò in altera ejusdem diei provisione, praefertendus erit is cujus in provisione notata fuit hora. Id multis Gallicanis judiciis confirmat Brodeus in Louetum litera V, cap. 2. Sed si nullibi legitur expressio horae, praefertendus ille erit, qui ab eo provisus erit, quem constat esse dignitate superiorem: hoc tamen discrimine ac limitatione, ut si is qui à minoris Dignitatis collatore Beneficium accepit, possessionem prior altero inierit, tum demùm praefertur alteri debeat, qui vel nullatenus, vel posterius sumpserit possessionem, quanvis ab altiori Dignitate provisus fuerit, juxta cap. *Si à Sede Apostolica*, de praebend. in 6. Rebuffus in praxi, tit. de rescript. ad Benef. vacant. num. 30. Papo lib. 2. placitorum, tit. de provision. 9. artic. 9. Despeillus de benefic. cap. 4. num. 3. Leuret lib. 4. decis. 1.

III. Circa verò litigantium subrogationes require infra libri 4. cap. 9. in quo diffusè hanc materiam pertractabo.

IV. Quantum ad unionem Beneficiorum: Si proventus Ecclesiae vel Beneficii minimè sufficiant ad sacrum Ministerium, aut ad victum Beneficiati concedentem, provideri solet his defectibus per unionem alterius minoris Ecclesiae vel Beneficii; atque ita congrua Ministris portio assignari, cap. *Exposuisti* 33. de praebend. Quae potestas non modò Papae, aut Legato, sed etiam Episcopis competit, cap. *Sicut unire*, de excessibus Praelat. *Sicut unire* (inquit) *Episcopatus, aique potestati subicere aliena, ad Summum Pontificem pertinere dignoscitur, ita Episcopi est Ecclesiarum suae Diocesis unio, & subjectione earundem.* Idemque statuit Concilium Viennense Clement. 1. §. *Ad haec*, de statu monach. Idem rursus statuit Concilium Trident. sess. 21. cap. 5. ut possint Episcopi, sine praedictio tamen obtinentium, facere uniones perpetuas quarumcunque Ecclesiarum Parochialium,

& aliorum quorumcunque Beneficiorum, sive curatorum, sive non curatorum cum curatis, ob Ecclesiarum paupertatem, aliasve justas causas; licet dictæ Ecclesiæ, vel Beneficia essent generaliter aut specialiter reservata. Hoc ipsum confirmant Gallicanæ Constitutiones Henrici III. in Comitibus Aurelianensibus art. 16, & in Comitibus Blesensibus art. 22. Justæ autem istarum unionum causæ ante omnia probari debent per juridicam inquisitionem, aliasque debent intervenire solennitates, de quibus tractat Rebuffus in praxi, p. 1. tit. de union. benef. Hoc idem possunt Episcopi in favorem Cathedralium suarum Ecclesiarum, aut insignium Collegiarum, quarum fructus sustinendo decenti Canonicorum gradui, aut sacerdotum Officiorum cultui impares sunt, ex Concilio Trident. sess. 24. cap. 13. & 15. dum servantur expressæ ibidem conditiones: quod idem ferè affruitur in Comitibus Blesensibus, artic. 23. Quàm ergo scedâ & Juris communis peræquæ atque Gallicani ignorantia laborant, qui hujuscemodi uniones ad solam Apostolicam auctoritatem existimant pertinere! Certè Collatores omnes Episcopis inferiores ab hac uniendo Ecclesiis potestate excluduntur, d. cap. *Sicut unire*, de excess. Prælat. Rebuffus tit. de union. benefic. num. 32.

V. Beneficium quod Patrono laico subest, unire alteri nemo potest, nisi de ipsius consensu, ut edicitur in Comitibus Blesensibus art. 23. & antè docuerat Rebuffus d. tit. num. 28.

VI. Denique ab iisdem qui facere possunt, ab iisdem justa ex causa revocari & dissolvi queunt istiusmodi uniones, ut si damnosæ ipsi Ecclesiis comperiantur, aut si paupertas deserit quæ eis causam dedit. Rebuffus tit. de union. revocat. Nihil est intra Christi Ecclesiam optabilius, quàm ut denudè uniantur divisâ illa Beneficia, quorum unum annexam habet animarum curam, alterum porro divisum est, & sejunctum à sacra illa cura, ut constitueretur simplex, iners, ac otiosum Beneficium, reservatâ exiguâ dumtaxat portione pro Sacerdote Ecclesiæ ministerio, animarumque sollicitudini destinato, dum alter ille Prioris titulo insignitus otiositati, quæ omnium vitiorum fons est, ganeæque addictus, majora & opima Ecclesiæ stipendia solis laborantibus debita in luxum, aleam, cupidias profundit, aut avarè recondit ad consanguineos, vel affines locupletandos. Horum pravitas Catholicis simul & hæreticis scandalo est. Domus interim Dei meritis operariis destituitur ob stipendiorum, quæ divino ministerio reservantur, exilitatem. Inertes hi Clerici sunt in Ecclesia quasi in alvearibus fuci, qui nihil operantes apum labores comedunt, & mellificia absumunt. Quàm est hoc ab Ecclesiæ spiritu alienum, secundum quem ordinat Apostolus Paulus, ut qui non laborat, non manducet! Quàm denique hoc ipsi Sanctis Canonibus dissentaneum est! quos inter Concilii Agathensis canon 36. sic decernit: *Clerici omnes qui Ecclesiæ fideliter diligenterque deserviunt, stipendia sanctis laboribus debita secundum servitii sui meritum,* vel

vel ordinationem canonicam à Sacerdotibus consequantur. Eadem ratione Tridentinum Concilium sess. 25. de reform. cap. 16. Statuit sancta Synodus, ut Ecclesiastica Beneficia secularia, quocumque nomine appellentur, quae curam animarum ex primæva eorum institutione, aut aliter quomodocumque retinent, illa deinceps in simplex Beneficium, etiam assignatà Vicario perpetuo congruâ portione, non convertantur, non obstantibus quibuscumque gratis, quæ suum plenarium effectum non sunt consequuta. In iis verò, in quibus contra eorum institutionem, seu fundationem cura animarum in Vicarium perpetuum translata est, etiam si in hoc statu ab immemorabili tempore reperiantur, si congrua portio fructuum Vicario, quocumque nomine is appelletur, non fuerit assignata, ea quamprimum, & ad minus intra annum à fine hujus Concilii, arbitrio Ordinarii, juxta formam Decretis sub sel. rec. Paulo III. assignetur. Quod si id commode fieri non possit, aut intra dictum terminum factum non fuerit, cum primùm per cessum, vel decessum Vicarii, seu Rectoris, aut quomodolibet alterum eorum vacaverit, Beneficium curam animarum recipiat, ac Vicarie nomen cesset, & in antiquum statum restituatur. Unionum Beneficiorum modum & conditiones fusè prosequitur Carolus Fevretus lib. 2. de abusu, cap. 4. Additque majorem impendi favorem unionibus per quas Beneficia contra veterem statum & fundationem divisa, cum à primordiis unicum duntaxat fuisset, reintegrantur in unum: profertque num. 35. Parisiense Senatufconsultum adversus appellantem de abusu in oppositionem reunionis duarum Præbendarum Ecclesiæ Sancti Mederici, quæ contra primævam institutionem, cum unicam constituissent curam, fuerant progressu temporis in duas dissectæ curas, sed autoritate Apostolica in unam rursum coaluerant. Curia verò Parisiensis appellantem submovit, & reintegrationem in unum suo judicio firmavit, Martii 17. anno 1625. Sed multo majori digna favore est unio, ubi ex unico curato Beneficio pars stipendiorum sejuncta fuit ad simplex, otiosum, nulliusque frugis Beneficium constituendum. Utinam Regibus, Episcopis, & iis qui sunt in Ecclesia Proceribus mentem istam Numen inspiret, ut de ipsis prædicetur quod de apibus Virgilius Poëta commemorat: *Ignavum fucos pecus à præsepibus arcent.*

VII. Ad requisitam juxta unionum causæ juridicam inquisitionem necessariò exigitur ut vocentur Ecclesiarum Rectores, & Capituli œconomus, & si qui sunt Patroni; & Regius insuper Procurator, ac civitatum Administræ, non quidem ut consentiant: solo enim excepto Patrono laico, cujus necessarius est consensus, ut dixi, cæteris etiam laicis dissentientibus, dummodò vocatis & auditis, potest ad unionem procedi: nec aliâ ratione vocandi sunt, quàm ut rationes, si quas habent, oppositionum proponant, cap. *Cum olim*, de arbitris.

VIII. Cùmque faciendæ sint uniones ob commune Ecclesiæ commodum & publicam utilitatem, non debet illis obfistere ulla sive generalis, sive specialis reservatio, excepto laico Patrono. Concilium Trident. sess. 24. de

de reformat. cap. 15. Nulla itaque habenda hinc ratio Graduatorum, aut Indultariorum, aut similibus. Rebuffus d. tit. de union. benefic. num. 31. ubi postquam aliquot decisiones Rotæ allegavit editas in gratiam Expectativarum, ut scilicet unio nullatenus præjudicet expectativas gratias habentibus, sed ejus suspendatur executio usque ad obitum ejus qui hoc privilegium impetravit; ipse tamen postea in oppositum sic ait: *Sed generalis reservatio, vel mandata, seu nominationes non impediunt unionem, per Gloss. in Clement. finali, de rescriptis; quia Beneficium per unionem dicitur suppressum, & ob id non dicitur amplius Beneficium, cap. Cum accessissent, de constitut.*

IX. Papa, vel Legatus non possunt in Gallia Regno per se immediate de causis unionum inquirere, neque Delegatos de Curia mittere ad hoc munus, sed solum juxta Bononiensia Concordata committere in ipsis partibus inquisitores, qui ad hoc inquirent & procedant. Horum exempla profert Thuanus lib. 3. histor. Gallia.

X. Cum sit præscriptio ad commune bonum instituta, ne lites multiplicentur, rerumque dominia in incerto sint, l. 1. D. de usurpat. & Institut. de usucap. in princ. sitque necesse litibus aliquos præferere fines, & litigiosorum hominum omnia perturbantium cupiditates coercere, ex occultis & vetustate immutatis pridem rebus, quasi ex abdito & insperato insidiantium, & lucra captantium conatus reprimere, cæterorumque hominum bona fide possidentium quieti consulere; præsertim cum annorum multorum decursu rerum præteritarum memoria aboleatur, exceptionum ac defensionum adminicula disperdantur, instrumenta conventionum, compositionum, transactionum, & veterum litigiorum processus innumerorum casuum, tum publicorum, tum privatorum & domesticorum concursu dispereant; nihil præterea facilius sit, quam falsa instrumenta quasi antiqua & authentica eudere ac supponere; quæ tamen falsitatis coargui vix possint, ac ne vix quidem, ob mortem & partium & testium & scribarum in eis designatorum. Compertum est autem quod illa Justiniani lex *Ut inter, C. de sacros. Eccles.* quæ indistinctè omnem excluderat contra Ecclesias præscriptionem, præterquam illam quæ centum annos excederet, & quam idem postea Justinianus meliore consilio abrogavit, fuerit à Triboniano edita, & magno pretio vendita œconomio Emislenæ Ecclesiæ, postquam plurimas veterum obligationum tabulas & chirographa per insignem falsarium Priscum Emislenum cudi curaverat in Ecclesiæ commodum iniquissimum, ut tradit Suidas in verbo *Priscus Emislenus*. Abrogatæ autem illi centenariæ præscriptioni substituit in Ecclesiæ favorem quadraginta præscriptionem annorum, authent. *Quas actiones, C. de sacros. Eccles.* & l. *Sicut in rem, C. de præscript. 30. vel 40. annorum*. Ipsaque Synodus œcumenica octava can. 18. non longiorem attribuit Ecclesiæ quàm triginta annorum præscriptionem; qui Canon insertus legitur

gitur in Gratiani Decreto sub falso Gelasii nomine, in can. *Placuit* 16. quæst. 3. Concilium verò Tridentinum sess. 7. cap. 6. de reform. præfigit unionum Ecclesiarum aut Beneficiorum præscriptioni numerum annorum quadraginta, ultra quem non sit procedendum ad eas dissolvendas ac dirimendas, nisi ob evidentem necessitatem.

XI. Canonica unionum Ecclesiarum ac Beneficiorum causa est vel necessitas, vel evidens Ecclesie utilitas, cap. *Exposuisti*, de præbend. Aitque canon *Etsi Ecclesia*, 1. quæst. 7. *Quis dubitet irritanda, qua nec Ecclesiastica utilitas, nec ulla extorsit necessitas?* Ejusmodi causas Canones adhibent & approbant in duabus Parochialibus Ecclesiis, quarum fructus sustentandis duobus Curionibus minimè sufficere queunt, modò ambæ parum ab invicem distent. Clement. *Ne in agro*, §. *Ad hæc*, de statu monach. Aut quando tam exiguus est Parochianorum numerus, ut unus Pastor duarum ministerio facile sufficiat; aut earum una belli calamitate destructa fuit, can. *Postquam*, 16. quæst. 7. Cùmque soleat unio duabus viis procedere, scilicet in forma solemnè, & per juridicam causæ probationem & solemnitates à Jure præscriptas, vel alio modo in forma gratiosa, & motu proprio: sola prior via in Gallie Regno admittitur; forma verò unionum gratiosa nullatenus recipitur, ut fidem faciunt Rebuffus in praxi, tit. de unionib. Chopinus de sacra Politia, lib. 2. tit. 6. Lucius libro 2. Placitorum, tit. de appellationib. art. 2. Antonius Faber in Cod. tit. de appellationib. ab abusu, defin. 48. Fevretus lib. 2. de abusu, cap. 4. qui omnes pariter testificantur, præscriptione plusquam centenaria nullatenus apud Curias Regni firmari Ecclesiarum uniones, si vitiosus titulus, quantumvis vetustissimus proferatur. Atque hoc est receptissimum effatum forense, præstare ad unionem effectum, si sola proferatur longi temporis præscriptio, scilicet quadraginta, vel quinquaginta annorum, vel ea cujus initii memoria non extet; quia in præscriptionibus omnia præsumuntur solemniter acta. Sed si constat de titulo vitioso etiam annos centum excedente, discindi quamlibet unionem, quia cessat præsumptionis favor ubi de opposito vitio liquet. Innumera proferuntur ad hoc Senatûs consulta, inter quæ famosum valdè est Divionense, in causa evocata inter Henricum Robertum Sacerdotem, & Annibalem Rascaffium Ecclesie Metropolitanæ Aquisextiensis Archidiaconum. Iste quidem tuebatur, Decanatum Draguiniacensis Ecclesie fuisse Archidiaconatui Aquisextiensis Ecclesie olim ante annos centum unitum, eamque unionem sine interruptione ad se usque continuatam fuisse liquebat. Et id quidem sufficiebat ad excludendum Robertum, qui sibi Decanatum Draguiniacensem vindicabat, quasi contra jus & prohibitionem Concilii Constantiensis in Gallia receptissimi divulgum à propria Ecclesia: ideoque ejus obtenta qualicumque provisione, se in possessionem Decanatus immitti curaverat. At Rascaffius, cui tanta sufficiebat præscriptio, quasi obruturus titulorum multitudi-

tudine, diplomata Summorum Pontificum in forma gratiosa, & solemnitate, consuetis vacua, jamdudum ante annos centum expedita prodixit, per quæ causâ suâ cecidit. Senatus enim Divinionensis secundum Robertum judicavit ab his diplomatibus tanquam ab usuris provocantem, die 11. Aprilis, anno 1641. illaque tunc rescissâ unio fuit, atque Actori adjudicatis Decanatus. Præter Summum Pontificem possunt etiam Episcopi Beneficia suæ diocesis unire: at non horum Vicarii, nisi hoc specialiter ab Episcopo in mandatis habeant, tamen habent in mandatis Beneficiorum collationem; sunt quippe res dispares ac disjunctæ, cum possit quidem Episcopus unire, sed non conferre viventium Beneficia: & decernitur in cap. *Qui ad agendum*, de procurat. in 6. generali mandato non comprehendit ea, in quibus speciale requiritur. Rebuffus in praxi, in forma Vicariatus, num. 102. Fevretus cit. n. 19.

XII. Unionibus Beneficiorum succedere par est tractationem de divisionibus eorundem. Divisiones Beneficiorum regulariter prohibentur, cap. *Majoribus*, cap. *Vacante*, & cap. *Cum causam*, de præbend. Valetque Generalis Rubrica, *Ut Ecclesiastica Beneficia sine diminutione conferantur*. Aliquando tamen suadet hanc fieri divisionem necessitas, aut evidens, & juxta Ecclesiæ utilitas; in quibus causa illa præcipua habenda est, quum contingit ob Populi frequentiam, aut ob Ecclesiæ distantiam, ut una omnibus Ecclesiæ non sufficiat ad publicum Dei cultum & Sacramentorum administrationem. Quo casu provisum est tum constitutione Alexandri III. in cap. *Ad audientiam*, de Eccles. ædific. tum Decreto Tridentino sess. 21. cap. 4. de reform. ut possit Episcopus novas instituere Parochias, etiam juxta Tridentinam Sanctionem Rectoribus invitis: illis autem Sacerdotibus qui noviter erectis Ecclesiis erunt præficiendi, competentem assignare portionem ex fructibus ad Ecclesiam Matricem pertinentibus; & ubi necesse fuerit, liceat Episcopo compellere Populum ad subministranda quæ ad victum Sacerdotum præficiendorum spectant.

XIII. Ereptione pariter mutatur status Ecclesiarum. Interdum enim simplex Ecclesia mutatur in Curatam, atque in Parochialem erigitur, propter necessitatem, aut majorem plebis commoditatem. Quod ut ritè fiat, vocandi sunt quorum interest. Consensus quoque Rectoris desideratur. Si autem gravis urget necessitas, proceditur ad erectionem, vocato quidem, sed invito ac renitente Rectore, compensando damnum quod illi infertur, statutâ annuâ aliquâ pensione. Atque ad ista sufficit Episcopi auctoritas, cap. *Ad audientiam*, de Eccles. ædific. & can. *Si Episcopus*, 12. quæst. 2.

XIV. Similiter Ecclesia curata erigitur interdum in Collegiatam, statuto certo Canonicorum numero. Idque potest Episcopi auctoritate fieri, cum consensu Rectoris, d. can. *Si Episcopus*, 12. quæst. 2. & cum consensu Patroni, Abbas & Felinus in cap. *Suggestum*, de jure patron.

XV. Erigitur

XV. Erigitur tamen aliquoties Ecclesia Regularis in Secularem, aut Secularis in Regularem, cap. *Inter quatuor*, de reb. Eccles. non alien. In erectione Secularis in Regularem auctoritas Episcopi sufficit debitas adhibentis solemnitates, d. can. *Si Episcopus*. Ut verò Regularis in Secularem erigatur, rescriptum efflagitur Summi Pontificis, can. *Qua semel*, 19. quest. 3. Et utroque casu Canonicis in Religionem transire nolentibus, vel Regularibus qui militiam cui adscripti fuerant, deserere nolunt, certa pensio annua ad vitam servanda est. Rebuffus in praxi, p. 1. tit. de erect. Eccles. in Cathedr. Secul. vel alium statum, n. 10.

XVI. At verò Collegiatam Ecclesiam erigere in Cathedrallem seu Episcopalem nemo potest nisi Papa, cap. 1. ne Sede vacante, cap. *Quod translationem*, juncta Glossa, de offic. Legat. quo loco eadem potestas Legato denegatur.



CAPUT XII.

De Beneficiorum renunciatione, seu resignatione.

I. **S**CIENDUM ante omnia, factam resignationem per mandatum posse à resignante revocari antequam fuerit à Superiore admissa. Sed si revocatio procuratori aut resignatario non innotuerit, atque ita fuerit resignatio admissa, nihil juvabit revocatio, nisi dolo impeditum fuerit, ne revocatio innotesceret, Clement. unica de renunciat. Hic jam explorandum est, quinam Beneficarii resignare possint. Atque in primis disceptatur de Beneficariis criminum reis. Circa crimina vacationem Beneficii causantia, quaedam sunt atrocissima, quæ causant Beneficii vacationem ipso facto, seu statim atque admissa sunt; alia non causant, utpote minus atrocia, nisi post Judicis sententiam: atque in his valet resignatio ante Judicis facta sententiam, in illis verò nullatenus valet resignatio contingens post scelus perpetratum, quanvis necdum deductum ad forum contentiosum, dummodò sive ab initio, sive ex postfacto de scelere certò constet. Hujusmodi sunt crimen læsæ Majestatis in primo (ut aiunt) capite, assassinium, sodomia. Mornacius ad leg. 6. D. de his qui not. infam. Bengueus tit. quib. mod. vacent & amit. benef. §. 6. num. 16. 17. 18. 19. Mainardus lib. 1. cap. 61. Senatusconsultum referens quod resignatarium accusati de crimine sodomie excludit. Quia in odium detestabiliorum criminum

minum censetur vacasse Beneficium ab ipso momento quo fuit perpetratum. Ex homicidio citra assassinium non vacat ipso facto Beneficium ante Judicis sententiam, can. *Studeat*, distinct. 50. & cap. *Henricus*, de Cler. pugnant, in duello.

I. In cæteris verò delictis, quanvis capitalibus, potest horum reus validè resignare antequam criminis accusetur. Bengeus loco cit. Charondas lib. 1. Responsorum, cap. 22. multa referens ad id Senatusconsulta. Quin etiam potest idem reus resignare etiam post accusationem & condemnationem, si ipse à condemnatione appellaverit & post appellationem resignet, quemadmodum reo ad mortem damnato, pendente appellatione testamentum condere jura permittunt, l. *Qui à latronibus*, D. de testam. Charondas lib. 1. Pandect. cap. 20. Mainardus, Mornacius, Bengeus locis citatis, Duarenus de Beneficiis lib. 8. cap. 2. §. 1. Verùm si ante admissam resignationem sententia capitalis intervenerit, quæ non sit appellatione suspensa, tum demùm irrita erit resignatio, ut dixi.

II. At verò si quis devolutarius Beneficium ut vacans per Judicis sententiam impetraverit, & resignatarius prævenit, ipsa tunc resignatio & jura simul resignatarii & devolutarii erunt in pendenti, aded ut si sententia depositionis à Judice appellationis confirmetur, præferendus sit devolutarius: si verò sententia reformetur, & reus à poena depositionis absolvetur, prævalere debeat resignatarii provisio; quemadmodum de testamento, vel de donatione à reo criminis facta statuitur in l. *Post contractum*, D. de donation. & l. *Si aliquis*, D. de donation. caus. mort. & d. l. *Qui à latronibus*, D. de testament.

IV. Ille censetur Beneficiarius qui proximum jus acquisivit ad Beneficium vacans, etsi nondum ejus possessionem sit adeptus. Tale verò jus nullatenus habent Indultarii, Graduati, Mandatarii Apostolici, nihil aliud habentes præter spem, ut nec ille qui parvam solummodò Datam impetravit: sed idem postquam Signaturam obtinuerit, etsi neque examen, neque professio fidei subsequita fuerit, neque possessio apprehensa, potest validè, sive purè & simpliciter, sive in alterius favorem resignare. Gratia enim per solam Signaturam & verbum *fit* perficitur. Ranchinus p. 4. conclus. 290. Papo lib. 2. placitorum, tit. de resignatione 8. art. 5. Neque censetur condicionalis & quasi suspensum habens effectum in futurum, sed absoluta & de præsentis efficax illa quæ per Signaturam fit Beneficii collatio, quanvis sic provifus necdum valeat concessio Beneficio utifui, nisi postmodùm dignus fuerit judicatus. Is verò cui nondum est collatum Beneficium, quantumcunque proximè conferendum, ut est ille qui impetraturus est coram Ordinario, etiam post examen & verbalem collatoris approbationem, necdum tamen Literas Beneficii proviforias obtinuit, non potest resignare. Boërius decis. 300.

V. Nunc videndum quâ formâ fieri debeat resignatio. Ea vel est simplex.

simplex, vel in favorem, aut aliter conditionata; vel sit ex permutatione, vel non; vel sit mediata per procuratorem, vel immediate per ipsum resignantem. Et quidem si fiat per procuratorem, observari debent circumstantiæ omnes præscriptæ in Constitutione Henrici II. anni 1550. artic. 3. Primum enim facienda est procuratio ad resignandum apud Notarium publicum: nec referre docent Scriptores Gallicani, an sit Notarius Ecclesiasticus, an Regius. Secundò debet resignans actui subscribere; & si per infirmitatem non possit, debet Notarius in eodem actu id exprimere. Tertio duo testes interesse debent, non domestici, non cognati, non affines ipsius resignantis, aut resignarii. Quarto debet procuratio specialiter fieri ad tale Beneficium, non enim sufficeret generale mandatum. Quintò procurator ita astringitur mandati sui terminis, ut si aliter se gerat, futura sit invalida tota resignatio; nec enim potest validè mandati sui fines excedere, l. *Præterea*, in princ. D. mandati. Si ergo constitutus sit ad resignandum coram Papa aut Legato, invalidè resignabit in manus Ordinarii; & ex adverso. Item si constitutus sit ad resignandum simpliciter, nihil ager si resignet in favorem; & è contra. Rebuffus in praxi, p. 3. tit. de procurat. const. ad resign. num. 21. & tit. de resignat. conditionata, in fin. Sed si ipsimet procuratori, qui juxta fines mandati simpliciter resignavit, Prælatum idem ipsum Beneficium contulerit, valebit illa collatio, quia procurator intra mandati fines se continuit. Rebuffus d. tit. de resignat. condition. num. 23. & 28. Porro nihil refert si procurator sit Clericus, an Laicus. Guimier ad Pragm. Sanct. tit. de collationib. §. *Statuit autem*, verb. *Procuratorem*. Rebuffus in d. tit. de procurat. const. ad resign. n. 17. aliique communiter.

VI. Revocato autem mandato non potest procurator ullatenus resignare, modò revocatio non solum præcesserit, sed etiam significata procuratori fuerit, aut ipsi collatori. Si enim non fuerit sufficienter significata, tenebit postea admissa resignatio, & inutilis erit revocatio, nisi dolo procuratoris, aut collatoris effectum sit, ut non notificaretur revocatio illa. Clement. unica de renunciat. Rebuffus p. 3. tit. de revocat. procur. Charondas lib. 1. Pandect. cap. 10. Quin etiam si Notarius nondum expedivit mandatum in manus procuratoris, sufficere potest notificata revocatio ipsi Notario. Etenim cum ex memorato Henrici II. Edicto anni 1550. procurator admitti non possit ad resignandum, nisi exhibendo scriptum ipsum manu publica mandatum, necesse ipsi erit recurrere ad Notarium antequam Prælatum conveniat.

VII. Eadem Henrici II. Constitutio invalida & inania declarat omnia ad resignandum mandata, si annum excedant. Quæ itaque post annum fieret resignatio in ejus mandati vim, & subsequuta collatio prorsus irrita forent.

VIII. Ut plenius hæc resignationum tractatio elucidetur, dispiciendum

dum nunc est, quinam possint illas admittere. Certum est ab illo admitti debere, cui jus competit Beneficii conferendi, cap. *Admonet*, de renunciat. Si verò sit patronatum Beneficium, debet pariter approbari à Patrono, alioquin erit irrita resignatio & collatio. Duarenus lib.8. de benefic. cap. 2.

IX. Non potest quisquam in manus inferioris, aut sibi æqualis resignare, sed tantum Superioris. Ideoque facta per Abbatem vel Priorem resignatio in manus Vicarii sui aut Capituli nulla est, cap. ult. de renunciat. sicque iudicatum in Magno Regio Consilio referunt Charondas lib.1. Pandect. cap.10. Despeisseus de benefic. tit.11. sect.2. art.3. Neque potest Episcopus resignare nisi in manus Papæ, cap. 2. & cap. *Quanto*, de translation. Episc. Rebuffus in praxi, p.3. tit. *Ratione person. & rei vitiat. resign.* num.11. Si quis resignet in manus laici, amittit Beneficium, quod statim vacat, nec resignatarius ullum jus habet, cap. *Quod in dubiis*, de renunciat.

X. Resignatio ex causa permutationis Beneficiorum valet coram Episcopo, sed nullatenus coram inferiore, cap. *Questum*, de rerum permut. Rebuffus d. tit. *Ratione person. n.10.* idemque tit. de permutation. num.20. Charondas lib.1. Pandect. cap.10. Hoc etiam extendit Bellamera tract. de permutatione, quæst.3. & Pastor lib.3. de Beneficiis, tit.11. ad Vicarium Episcopi habentem ab ipso speciale mandatum: adeo ut possit Vicarius Generalis in hoc ab Episcopo delegari, ut Beneficiorum resignationes ex causa permutationis admitrat. Etenim quæcumque potest in materia jurisdictionis Episcopus, eadem omnia Vicario suo Generali delegare potest, paucis quibusdam exceptis, quæ jus prohibuit delegari. Sic enim Concilium Tridentinum amovit ab Episcopis potestatem delegandi circa concessam ipsis absolutionem ab hæresi.

XI. Beneficia quæ coram Episcopis, aliisque Superioribus compermutantur, nullatenus subjacent mandatis, aut Indultis, seu Expectativis, cap. unico de rer. permut. in 6. neque aliis quàm permutantibus conferri queunt. Clement. unica, eod. tit. Non enim ad permutationem ventum esset, nisi permutantes eam credidissent valituram, cum liberum cuique esset sua pristina Beneficia retinere. Neque ratio, vel bona fides patitur, ut quis sine sua culpa & contra propriam intentionem sua re spoliatur; nam id quod nostrum est, sine facto nostro ad alium transferri non potest, l. *Id quod nostrum*, D. de regul. jur.

XII. Resignationem in favorem jus prohibet, can. *Plerique*, 8. q. 1. Ideoque omnes in favorem factæ resignationes nullius sunt momenti, nisi fuerint admittæ à Papa, cujus potestatis est de Communi Jure dispensare. In Gallia tamen multorum seculorum usu & consuetudine præscriptum est, ut tempore Regaliæ fiant Beneficiorum resignationes in alterius certæ personæ favorem coram Rege, qui solus ac pleno jure vacantia in Regalia Beneficia

Beneficia confert. Chenutius cent. 1. quæst. 4. Louetus litera R, cap. 47. Secluso Papæ & Rege, nullus potest resignationes in favorem admittere, nec ipse Papæ Legatus, nisi hoc specialiter in mandatis habeat. Rebuffus in praxi, p. 3. tit. de Resignat. condition. à num. 5. usque ad 12. Charondas lib. 1. Pandect. cap. 10. Alias quoque sub conditione renunciationes, maximè sub onere pensionis, solus Papa purgare & admittere potest, ut infra videbimus.



CAPUT XIII.

De Resignationibus in favorem.

- I. **R**ESIGNATIONES in favorem, quia sapiunt quandam velut hæreditariam in Beneficiis successionem, & quia communiter censentur canonice simoniæ labe scædari, aded in Jure prohibentur, can. *Plerique*, 8. quæst. 1. ut nec ab Apostolico Legato, nisi hoc specialiter habeat in mandatis, admitti possint, sed à solo Supremo Pontifice, qui potest in iis quæ Juris positivi sunt, ex justa causa dispensare, cap. *Significasti*, de election. & cap. *Proposuit*, de concess. præbend. Longissimâ tamen præscriptione subnixus Gallia Rex hujusmodi resignationes solet admittere, & secundum eas conferre ubique viger jus Regaliæ, ut superiore capite notavi, n. 12.
- II. Resignatio in favorem, & alia quæcunque conditionata coram Papa habet annexam sibi conditionem *sine qua non*; aded ut si Papa aliter provideat, ea provisio futura sit irrita, maneatque resignans in pristina resignati Beneficii possessione, quia sequens provisio fuit contra mandatum & mentem resignantis expressam. Gloss. in cap. *Olim*, in 1. verb. *Traditam*, de restitut. spoliat. Rebuffus in praxi, tit. de resignat. condit. num. 3. Clausula hæc apponi solita sic exprimitur: *In favorem N. nec aliter, nec alio modo, nec aliàs*. De hoc est notabilis textus in cap. *Cum universorum*, de rer. permut. ubi cum duo præbendati privatâ auctoritate, ac per hoc illicitè de mutua præbendarum suarum commutatione convenissent, unusque illorum suam alteri Præbendam resignasset, alter verò contra pactam fidem in tertiam personam Præbendam suam contulisset, jubet Papa ut primus ille præbendatus, qui contra jus & propriâ autoritate suam Præbendam in favorem socii conventionis resignaverat, non amitteret, sed recuperaret, eo quòd deceptus fuisset, non adimpletâ conditione sub qua, & non aliter, resignaverat. Ergo multò magis eadem urget ratio in eo qui

qui non privata autoritate, sed reverenter conveniens & consulens Supremam Sedem resignaverit sub conditione, quæ tamen non adimpleatur.

III. Si contingat resignari in favorem coram Legato vel Ordinario, quæcumque collatio sequuta nulla erit, sive conferatur nominato, quia excedit Collatoris legitimam potestatem; sive conferatur alteri, quia id fit sine ulla Beneficii vacatione; non enim vacat per resignationem, cum deficiat conditio apposita, sine qua resignans nullatenus intendit resignare. Rebuffus d. tit. de resign. condit. n. 7. & seqq.

IV. Si procurator ad resignandum coram Ordinario constitutus in favorem Titii resignet purè & liberè, & Ordinarius postmodum ad procuratoris preces conferat Titio, valebit illa provisio, quia Ordinarius propriam autoritatem non excessit dum liberè contulit, & resignans suum obtinuit intentum legitimo & juridico modo, quanvis modum illegitimum elegisset: neque censendus est procurator excessisse mandati fines, cum retulerit mandantis intentum. Parisius consil. 15. circa num. 12. in 4. volum. Rebuffus d. tit. n. 23. Sed si Ordinarius aut Legatus in sua libertate relictus contulerit alteri quam ei qui nominabatur in mandato, sub illa clausula, *non alii, nec aliter*, tunc irrita erit ejus collatio, utpote facta contra mandati fines, ita ut frustrata sit mandantis intentio, l. *Diligenter*, D. mandat. & d. cap. *Cum universonum*, de rer. permut.

V. Si resignans cum clausula, *non aliter, nec aliàs, nec alio modo*, retinuerit sibi pensionem, aut aliquid aliud, & hoc non fuerit prosequutus procurator apud Papam, non valebit resignatio, neque sequuta provisio, per cap. *Cum dilecta*, de rescriptis; quia mandati forma servata non fuit, etiamsi resignans mortuus fuerit: sed nullâ ratione habitâ novæ provisionis, utpote nullius & irritæ, Beneficium non nisi per obitum vacabit, ideoque resignatarius ipse, vel quivis alius poterit impetrare ut vacans per obitum: & dum vivit ipse resignans, vel retinendus est in possessione Beneficii, vel restituendus. Sed si procurator prosequutus fuerit omnes condiciones in suo resignationis mandato contentas, quas Papa noluerit approbare, non habet resignans cur de Suprema Sede conqueratur, modò suum sibi maneat Beneficium: non enim libertas, vel autoritas Papæ quibuscumque privatorum conditionibus adstringi debet, cum sit legibus etiam Ecclesiasticis solutus, quando justa & urgens dispensandi causa occurrit. Sed si idem resignationem quidem admitteret, condiciones autem rejiceret, sub quibus, & non aliter resignatio intenditur, quidquid in contrarium asseverare videatur Rebuffus d. tit. de resignat. condit. num. 24. & seqq. Summus Pontifex injuriam inferret, quia jus gentium, cui proculdubio Papa subiectus est, non permittit quemquam invitum & secundum juris formas indemnatum propriis bonis exspoliari. Atque id quod nostrum est sine facto nostro ad alium transferri non potest, l. *Id quod nostrum*,

rum, D. de regul. jur. Et quando fit unus aliquis actus cum conditionis haud irrationabilis adjectione, non potest pars ejusdem actus recipi, parte alia rejectâ, l. Aurelius, §. Idem quasi, & ibi Bartolus, D. de liberat. legat.

VI. Ubi fit resignatio in manus Ordinarii, potest quidem in mandato apponi ut rogetur collator id Beneficium alicui Clerico ibi nominato conferre, & procurator qui istud recepit officium, potest preces adhibere. Sed quoniam precibus non oneratur, neque admittitur libertas, l. 3. D. si quis aliquem testari prohib. liberum erit Ordinario istam admittenti resignationem de persona nominata, aut de aliqua alia, in quam magis propendeat, providere de Beneficio renunciato.

VII. Non obstat resignatio quominus resignans teneat adhuc resignatum à se Beneficium, donec per ipsius resignatarii immissionem à possessione expellatur. At verò resignatario conceditur ex usu Galliae triennium, intra quod tenetur Beneficii sibi resignati possessionem adire; alioqui vacabit beneficium, eoque tam resignans quam resignatarius spoliabitur ob præsumptam amborum confidentiam. Vacabit quoque si resignatarius adeat quidem possessionem nondum finito triennio, sed resignans non supervixerit biduo post aditam possessionem, ut docent, & ex frequentibus Senatusconsultis probant Papo libro 3. Placitorum, tit. de publicandis resignat. num. 8. Peleus lib. 1. forensium, cap. 29. Moscrius tract. des Alliances du Droit François, sub voce Benefice, num. 29. Pastor lib. 3. de Benef. tit. 8. num. 5. Denique Rex Ludovicus XIV. in Edicto du Contrerolle, art. 20. triennium resignatario indulget ad sumendam Beneficii possessionem.


VIII. Hinc tamen excipiuntur concursus Beneficiorum incompatibilium, utrovis modo, sive à resignante, sive à resignatario possessorum; non enim fas est tenere simul incompatibilia Beneficia ultra annum pacificæ possessionis, intra quod tempus tenetur alterum è duobus dimittere, alioqui impetrabile erit ab alio. Louetus lit. B, num. 3. in Schol. Brodei, Antonius Faber C. de sacrosanct. Eccles. defin. 2. Rebuffus tit. de non promotis intra annum, num. 45. & 46. Itaque resignans debet suum resignatarium negligentem urgere apud Ordinarium, ut possessionem sumere atque ministerium Ecclesie obire compellatur, aut de aliquo alio Clerico provideatur. At Jus commune, & extra Galliam praxis exigit, ut statim atque secundi incompatibilis Beneficii adita fuerit possessio, vel steterit per provisi dolum quominus adita fuerit, vacet statim primum Beneficium, cap. De multa 28. de præbend. & Joannis Extravag. Execrabilis, §. Qui verò deinceps, de præbend. Fagnanus in d. cap. De multa, num. 1. & seqq. Garcias de Beneficiis p. 1. cap. 5. num. 100. ipsumque Concilium Tridentinum sess. 7. cap. 4. Sed Papa quoties alicui Beneficium habenti providet de secundo incompatibili Beneficio, dare solet sex menses per hanc clausulam: *Quod orator habita pacifica possessione Beneficii, primum quod obtinet, intra sex menses dimittere*

dimittere omnino teneatur, alias utrumque vacet Beneficium. Sed provisus ab Ordinario nullum tempus indulgetur post initam possessionem. Massobrius in Praxi habendi concursus, requirit. 1. dub. 2. num. 4. & 5.



CAPUT XIV.

De Pensionibus super Beneficiis.

I.  N Resignationibus fieri in Romana Curia consuetis plerumque resignantes sibi reservare pensiones solent, quarum dilucidanda jura capite isto intendo. Generalis regula est, ut Ecclesiastica Beneficia sine diminutione conferantur, de qua tamen, modò urgeat rationabilis causa, dispensare potest Suprema Sedes, quæ secundum potestatis plenitudinem potest de jure supra Jus dispensare, ait Innocentius III. cap. *Proposuit*, de concess. præbend. atque ita providere ut conferatur Beneficium cum diminutione, ex illo pensionem detrahendo.

II. Praxis ordinaria hæc est, ut resignare intendens in alterius favorem, concordatum cum futuro resignatario apud Notarium præsentibus testibus minimè suspectis ineat in scriptis faciendæ hujus in manibus Pontificis resignationis, sub hac lege ut resignatarius, & qui ei in Beneficio succedent, solvant resignanti dum vivet certam annuam pensionem: atque ad purgandam simoniæ suspicionem & labem adjungitur clausula, *Sub beneplacito & approbatione Summi Pontificis, & non alias, neque aliter.* Simili modo & clausula fieri quæcumque concordata necesse est quoties in resignatione in favorem aliqua conditio alia apponitur, ut solutionis expensarum, regressus juris in idem Beneficium, reparationis Ecclesiæ. Concordatum deinde in Romanam Curiam transmittitur approbandum & exequendum.

III. Tres rationabiles causæ communiter assignantur constituendæ super Beneficio pensionis. Prima, si Beneficium dimittatur ex causa permutationis, retentâ pensione ad compensandum valorem fructuum dimissi Beneficii cum fructibus tenuioribus alterius compermutati, cap. *Ad questiones*, de rerum permut. Secunda, si resignans ex Beneficii dimissione patitur dispendium, ut non supersit ei congrua ad vitam honestè sustentandam portio. Tertia, si in judicio, vel extra de jure litigioso circa Beneficium fuerit transactum, reservata pensione ad bonum pacis ac redimendam vexationem, cap. *De cætero*, de transaction. cap. *Nisi essent* 21. de præbend.

IV. Sapienter

IV. Sapienter admonet Toletus lib. 5. instruct. Sacerd. cap. 83. tria requiri ad hoc ut licitè constituatur pensio super Beneficio. Primum quidem dispensationem Summi Pontificis. Secundò justam causam, sine qua, ut aiunt Toletus loc. cit. Lessius lib. 2. de just. cap. 34. dub. 38. n. 204. ex communi Theologorum sententia graviter peccarent & Summus Pontifex, & impetrantes, sicut malè res domini sui dispensans œconomus, & qui pecuniam recipit ab œconomò malè dispensante, præsertim ille qui nullum pro Ecclesiæ ministerio ac obsequio præstiterit officium. Tertio modum pensionis, ne per eam fructus alioqui proviso debiti exhauriantur, nève ita accumulatur hoc onus, ut congruam excedat Clerici pensionarii sustentationem, aut Beneficarii diminuatur.

V. Certis quibusdam casibus permittitur Episcopis Ecclesias quasdam & Beneficia certis pensionibus onerare. Sic enim Concilium Tridentinum Episcopis providè permittit absque ullo ad Apostolicam Sedem recurso Seminaria instituire ad educationem & instructionem Clericorum, & vocatis quibus opus est, illorum expensis, sustentationi, aliisque oneribus providere, assignando ex Beneficiis ac Ecclesiis suæ Diocesis certas annuas contributiones & pensiones ad Seminarii sustentationem. Concilium Trident. sess. 23. de reform. cap. 18. * Istam Concilii Tridentini sanctionem, quæ potestas datur Episcopis ad fundanda Seminaria deducendi ex beneficiis suæ collationis pensiones aliquot, confirmant Regiæ constitutiones comprehensæ in Codice Henrico sub tit. de Archiepiscopis & Episc. lib. 2. ubi Rex ipse statuit ordinari per beneficiorum aut pensionum attributionem Seminaria, jubetque suis Officialibus & Curiis hæc constituta tueri ac confirmare.] Potest etiam propriâ auctoritate Episcopus pensionem de Beneficio quod ab aliquo illiterato, vel etiam valetudine animi aut corporis impedito possidetur, reservare ad providendum victui coadjutoris pro illo exercentis, can. *Quicumque*, 26. quæst. 5. & can. *Inventum*, 16. quæst. 7. & Clement. *Multorum*, de pœnis. Concilium Trident. sess. 21. cap. 6. & sess. 25. cap. 14. Idemque sancitur in Concordatis Bononiensibus approbatis in ultimo Lateranensi Concilio. Potest etiam Episcopus admittere, propriaque auctoritate inter Partes dissidentes ad bonum pacis approbare transactionem, ut altera Partium Beneficio fruatur sub onere solvendi censum, seu pensionem alteri colliganti, cap. *De cætero*, de transaction. cap. *Nisi essent*, de præbend.

VI. Certi exploratique juris est, Romanum Pontificem posse super beneficiis pensiones imponere. Jam hæc quæritur, an deductis causis superiore art. 5. expressis, id pariter potestatis habeant cæteri à Papa Episcopi? Dissentiunt inter se Canonistæ, quibusdam asserentibus, aliis negantibus. Communior resolutio est affirmativa, quam tuentur Gigas de pensionib. quæst. 6. Petrus Ancharanus consil. 279. Ant. Butrius in cap. *Audivimus*, de colluf. deteg. Decius consil. 439. Caccialupus de pensionib. quæst. 5.

Gambar. de offic. & potest. Legat. lib. 2. num. 77. & seqq. idque probat ex cap. *Nisi*, de præbend. Item Azorius part. 2. lib. 8. cap. 6. idque probat ex cap. *Ad quæstiones*, de rer. permut. ubi in Ecclesiarum permutatione discernit Episcopus, eum qui opulentioris Ecclesiam nactus est in permutatione, alteri compermutanti certam pensionem exsolvere ad compensationis æqualitatem. Insuper Gloss. in cap. *Audientiam*, verb. *Pensionem*, de collus. deteg. sic ait: Hæc pensio constitui non potest sine autoritate Episcopi, ut vitam ejus qui solvit, non excedat. Et ad hoc allegat textum expressum cap. *De catero*, de transaction. ubi declaratur quod census pro beneficio affectus, vitam ejus qui solvit, non excedat, dummodo ab Episcopo constitutus fuerit. Item cap. *Nisi*, de præbend. statuit censum non ex collusionem partium, sed autoritate Episcopi super Ecclesia quadam constitutum ita valere, ut post obitum Rectoris, cui adjudicata fuerat Ecclesia, non debeat continuari in successore illius qui fuerat pensione oneratus. Item cap. *De Rectoribus*, de Cleric. agrotant. sancit posse Episcopum sibi subdito Clerico agrotanti, vel alioqui impotenti, assignare coadjutorem cum aliqua parte proventus.

VII. Jam quaeritur utrum pensio extinguatur, si contingat ut Clericus pensione oneratus recipiat idem Beneficium, super quo constituta erat pensio? Sciendum verò, aliud esse pensionem extinguere, aliud consolidari cum Beneficio: sicut solet usufructus aliquando, superveniente in usufructuario proprietate. Quo supposito præclare respondet Gigas de pensionibus, quæst. 49. sic distinguens: Vel enim pensionarius adeptus Beneficio ipsum dimittit ex causa necessaria, ut quia aliquis alter præcedens in id Beneficium potius jus, ipsum evincit; tunc enim pensionis jus non extinguatur, sed potest qui erat antea pensione provisorius pensionem à novo beneficiario exigere, quemadmodum usufructuarius ab eo qui proprietatem sibi acceperat, potest usufructum sibi vindicare, l. *Dominus*, D. de usufr. & quemadmodum quis utatur: ubi habetur, si usufructuario proprietatem fundi legata fuerit, & demum usufructuarius, alio evincente, proprietatem amiserit, adhuc penes ipsum manere pristinum usufructum. Simile quid edicit lex *Si maritus tuus*, C. de inoffic. testam. adjudicans viduæ hæredi instituta pristina ejus jura postquam hæreditatem amisit per querelam inofficiosi testamenti à filia defuncti intentatam. Ex diverso si Clericus jus habens pensionis ad Beneficium, spontaneè Beneficium recuperatum dimittat, jus pensionis pariter amittet; quia in simili casu usufructus amittitur, abdicata vel alienata sponte proprietate, quæ ipso actu cessat consolidari cum usufructu, l. *Cum filius*, §. *Dominus*, D. de legat. 2. Ratioque paritatis est, quia pensio beneficiaria de fructibus ipsius Beneficii deducitur. Itaque pensio extinguatur si Beneficium cui consolidata fuit, sponte abdicetur, alioqui autem perdurat.

VIII. Ut verò prosequamur quæstionem, an Episcopis aliis à Papa competat

competat potestas stabiliendi beneficiarias pensiones, cum paulò antè testimonia & rationes Doctorum id affirmantium produxerim supra art. 6. ne quid desit in hujus questionis elucidatione, referendi sunt Doctores hanc Episcopis potestatem amoventes. Inter hos spectabilis est Cardinalis Toletus, hæc docens lib. 5. cap. 83. Tres sunt conditiones, quibus omnibus, aut earum una deficiente, non potest aliquis pensionem habere. Prima est dispensatio: hæc autem non pertinet ad ullum Prælatum, nisi ad solum Papam; quanvis hoc ex Jure scripto non constat, sed ex consuetudine sola. Idem sentit Cajetanus tom. 1. tract. 17. & 31. quæst. 10. Hæc autem consuetudo inolevit in universo ferè Gallia Regno, quod scitu operæ pretium est. Appellatur enim ut ab abusu ab omnibus aliunde concessis pensionibus, exceptis illis quas ex necessitate Ordinarii provident coadjutoribus in casu ægrotationis vel impotentia Rectoris, ne plebs fidelis fraudetur debitis sibi ministeriis: magnaue nasceretur animarum perniciis, si in oppositum via litibus aperiretur, cap. *Ex parte*, de Cleric. ægrot. Hæc unanimes docent Gallicani Jurisconsulti, Corrasius part. 1. cap. 4. Chopinus lib. 3. de sacra Polit. cap. 32. Louetus & Brodeus litera C, art. 40. Concilium insuper Tridentinum non modò hoc Episcopis jus competere, quacumque appellatione, vel exemptione remota, ut provideant Ecclesiis de coadjutoribus, propter corporis, vel animi impotentiam Rectorum Beneficii, vel etiam quando suspenduntur ab exercitio propter inscitiam, vel ob suas culpas ad aliquod tempus, decernit sess. 21. cap. 6. de reformat. Hæc eadem omnia Prælatis præscribit Rex Carolus IX. in Comitibus Aurelianensibus, cum assignatione convenientis pensionis pro coadjutore.]

IX. Quod attinet ad pensionis modum, taxatur nonnunquam in Romana Curia ad fructuum medietatem, ut constat ex Joannis extravag. *Suscepti*, de election. & ex communi Extrav. unica, ne Sede vacante. Sed in Gallia Regno quando pensio videtur excessiva, reducitur sæpè ad tertiam fructuum partem, propter istam canonicam rationem: Quando privilegium concessum vergit in damnum, reducendum est ad convenientiorem modum, cap. *Suggestum*, de decimis. Rebuffus Praxis 1. p. tit. de reservationib. num. 17. Verùm in causa resignationis non solent pensiones reduci, quia odiosum judicatur si resignatarius qui consentit certam annuatim pensionem exsolvere, & hac lege fruitur resignato sibi Beneficio, mox adversus pactum & approbatam in Romana Curia fidem à se præstitam benefactorem suum eludere, & frustrare promissis non erubescat. Brodeus ad Louetum lit. P, cap. 30. Citra verò resignationis ex mutuo concordato causam facilè in Gallia reducuntur pensiones Ecclesiasticæ ad tertiam fructuum.

X. Pensiones Ecclesiasticæ aliquando extinguuntur per solutionem quæ semel fit abundantioris pecuniæ. Cave tamen ne hac in re Toletus
 Y 3 consentia

consentias dicenti lib. 5. instit. Sacerd. cap. 92. pensiones super Beneficio posse per resignatarium redimi propria autoritate absque simonia labe, dummodò redimantur solutione facta quinque annatarum ad summum: hoc est si pensio sit (exempli gratià) viginti aureorum annuorum, non esse redimendam ultra centum aureorum semel factam solutionem; quinque enim multiplicatus vicenarius numerus pertingit ad centesimum. Sed bonà pace duorum præstantissimorum & optimè de Ecclesia meritorum Cardinalium Toleti, & quem sequutus est in hoc ducem, Cajetani tom. 1. opusc. tract. 31. hoc licitè citra Papæ dispensationem fieri nequit, aut factum tenere, ut meliùs docent Gigas de pensionib. quæst. 45. & 87. Martinus Navarra consil. 59. num. 1. de simonia. Bonacina tract. de simonia, disp. 1. quæst. 4. §. 13. num. 7. Fagnanus in cap. *Ad audiendam* 31. de rescript. * Flaminius de resignationib. lib. 6. quæst. 2. num. 128. Rebuffus de pacific. possessor. num. 134. Navarra consil. 52. Forget tract. de pension. num. 30. Blainianus de pensionib. beneficiar. num. 16.] & alii communiter.

XI. Extinctio itaque, seu redemptio beneficiaræ pensionis duplicem prærequirit Romana ex Curia sumptam dispensationem, quæ tamen utraque uno tenore potest ab initio impetrari. Prima est ipsa pensionis constitutio; secunda est jus ac potestas ipsius extinguendæ pensionis; quod jus aliquoties conceditur in solutione quinque annatarum, aliquando verò plurium. Sæpe enim Romana Curia assignat sex, septem, & aliquando octo annatas, rariùs novem, & rarissimè decem. Hæc enim fieri taxatio consuevit secundum præsentem pensionarii, quæ probanda est, ætatem; quia quo junior est, eo major decurrendarum annatarum numerus præsumitur, & econtrà minor, quo senior est & provecior pensionarius.

* XII. Quæsitum est, possitne Legatus à Latere pensiones beneficiarias imponere intra provinciam suæ delegationis? Et posse affirmat Gigas quæst. 6. num. 19. Azorius part. 1. lib. 8. cap. 6. qui scribit solere Papam Legato potestatem facere constituendi pensiones super beneficiis per resignationem dimissis, ea tamen conditione ut tertiam fructuum partem non excedant. Quin etiam refert Bonifacius in Collectione Senatusconsultorum Curie Aquensis, judicatum die 19. Octobris anno 1658. in causa Boquii Arelatenfis & Croseti, nullum fuisse abusum in constitutione pensionis super beneficio resignato concessæ à Vicelegato Avenionensi; fuisseque appellentem beneficiarium repulsum cum onere expensarum. In Gallia quidem non admittuntur resignationes in favorem in manus Vicelegati, teste Sanlegerio part. 2. cap. 3. §. 6. num. 18. Sed validitate nituntur factæ & admissæ coram Vicelegato cum onere pensionis, idque confirmavit Romana Rota decis. Cavallicensi 108. & 109. in novis: ita testatur Sanlegerius ibid. num. 31. Bulla quoque Sixti V. quarto Kalend. Maii 1584. firmat eidem provisiones beneficiorum inæqualium permutatorum cum
supple

supplemento pensionis, ibid. num. 29. Potest insuper Vicelegatus derogare juri patronatus Ecclesiastici ac Clericalis: ibid. num. 27. Quod idem docent pariter Gigas, Covarruvias, Rebuffus in Praxi, 3. part. Signatura, verb. *Necnon juris patronatus*, cap. *Dilectus*, de offic. Leg. & cap. *Cum dilectus*, de jurepatr. Sanlegerius loc. cit. num. 27.]

XIII. Dubitatur, utrum successor in Beneficio pensione onerato sit obligatus reliqua pensionum solvere, quæ decurrerunt tempore prædecessoris, qui eas decurrentes solvere non curavit? Obligatum esse successorem scribit Garcias 1. p. cap. 25. & probat ex juris analogia & conformitate, quo novus possessor vectigalia temporis anteacti pendere tenetur, l. *Imperatores*, D. de publicanis. Et quia successor in Beneficio debita prædecessoris præstare tenetur, quæ prædecessor in Ecclesiæ utilitatem contraxit, cap. 1. de solutionib. At tamen prævalet sententia quæ Beneficii successorem anteacti temporis solutione pensionum liberat, dum alius possidebat. Ratio est quia pensionarius non habet jus in Beneficio, sed in solis Beneficii fructibus. Cum igitur successor neque jus, neque proprietatem, neque usum habuerit fructuum qui suam Beneficii possessionem præcesserunt, nullâ potest obligatione circa istiusmodi fructuum ac pensionum reliqua adstringi, quanvis ex postfacto beneficium possideat. Louetus litera *A*, cap. 15. Faber C. de sacros. Eccles. defin. 86. Neque obstat dicta lex *Imperatores*, cum loquatur de realibus oneribus: at hîc agitur de personali conjunctim & reali onere, quod utique non aliter personam afficit, nisi quatenus rem possidet. Nec magis obstat dictum cap. 1. quia debitum istud pensionum est tantum ad utilitatem privatæ personæ, & non Ecclesiæ, ut in d. cap. 1. At utilitas Ecclesiæ majorem quàm privatæ personæ favorem demeretur. Verumtamen oppositæ istæ opiniones ita conciliandæ sunt, ut primò quidem hæres ad præteritas illas pensiones teneatur, nec detur recursus ad Beneficii successorem, nisi postquam discussus hæres evidenter solvendo non est; pensiones enim illæ non sunt pro Ecclesiæ utilitate, sed pro privato unius personæ commodo aut indemnitate. Si verò ageretur de contracta pro Ecclesiæ necessitate vel utilitate à defuncto obligatione, successor Beneficii primariò ad solvendum teneretur, juxta cap. 1. de solutione.

* XIV. Jam hîc quæritur, an regressus ad beneficium resignanti concedatur, in cujus gratiam Papa concessit pensionem super resignato beneficio, per consuetam in Romana Curia clausulam istam: *Necnon resignatario, necnon ejus successore in solutione dictæ pensionis deficiente, seu illam ad minorem summam reduciistente, liceat eidem pensionario liberum habere regressum ad idem beneficium, ipsius corporalem possessionem propria autoritate per se, vel per alium liberè apprehendere*. Respondendum hujusmodi regressui locum ex propria pensionarii autoritate nullum indulgeri toto Galliarum regno, ut admonent Mandosius in praxi Signaturæ Gratiæ, in verbo

Regressus.

Regressus, sub finem, Azorius part. 2. lib. 7. cap. 14. quæst. 8. aliique Canonistæ. Etenim in Gallia nemini licitum est se in alicujus rei possessionem propria ingerere autoritate, priusque de pensionis securitate experiendum judicio est, quam lis de Beneficio intentetur, si fortè pertinax adversus rem judicaram rebellio, aut adhibita vis pœnam istam regressus mereatur. Sanè postquam constiterit de resignatarii negligentia vel mala fide in solvenda pensione beneficiaria, ratio justa erit in vim clausulæ hujus Pontificiæ aperiendi regressum, non utique sola conquerentis autoritate, sed in vim novi judicii, citatâ parte.]

XV. Nunc dispiciendum quibusnam modis pensiones istæ extinguantur. Primò finiuntur naturali morte pensionarii, quemadmodum & usufructus morte usufructuarii, & ceteræ personales servitutes. Neque unquam in Regno Galliæ transfertur pensio Beneficii in alteram personam, licet intra alias regiones per dispositionem, Papæ transferri soleat in aliam quoque personam. Rebuffus 1. p. Praxis, tit. de reservationib. tam general. quàm special. num. 20. Verumtamen non finitur pensio morte Beneficiarii hac onerati, sed ad ejus transit successores ejus solvendæ obligatio dum vivit pensionarius. Gloss. & Doctores in cap. *Nis*, de Præbendis.

XVI. Secundò perimitur pensio capitis diminutione pensionarii, si degradetur. In quo differt pensio beneficalis à temporali pensione constituta pro alimentis, quæ non deperit per capitis diminutionem, sed relinquitur ipsis deportatis, l. *Is qui*, D. de alim. & cib. legat. Quod discrimen inde procedit, quia pensio beneficiaria est jus spirituale & clericale, quallium jurium inducitur in degradatis plena incapacitas. Giga de pension. cap. 13. Navarra consil. 63. de simon. Garcias 1. p. quæst. 5. Quin etiam non restituntur hæ pensiones, quanvis degradatus, aut capite minutus Clericus fuerit restitutus à Principe, seu rehabilitatus à Papa, uti judicatum in hac Provincia Narbonensi Aquisextiis refert Pastor lib. 3. de Benef. cap. 12. num. 20. contra Sacerdotem qui post suam in integrum restitutionem, beneficio Regis obtentam ex condemnatione ad triremes, & obtentis etiam à Summo Pontifice Literis rehabilitationis, submotus est ab intentata petitione pensionis sibi olim ante omnem criminis accusationem super Parochiali Beneficio oppidi Gardanæ constitutam. Cujus judicii ratio est, quia restitutio non tollit jus possessori quæsitum per consolidationem aut liberationem, l. *Quod si minor*, §. *Scavola*, D. de minorib. & l. fin. C. de sentent. passis.

XVII. Tertiò extinguitur pensio per delictum hæresis, cap. *Ad abolendam*, de hæret. Item læsæ Majestatis, aut Sedis Apostolicæ, cap. *Felicis*, de pœnis in 6. Item si quis percussisset Cardinalem, d. c. *Felicis*: aut Episcopum in cujus dicecesi pensionem habeat, Clement. 1. de pœnis. Per cetera delicta pensio antè constituta non extinguitur, ne quidem per homicidium, nisi accesserit sententia condemnationis. Riccius in Praxi irregularitatis, decis. 524.

XVIII. Quartò

XVIII. Quartò per Matrimonium, aut per professionem Religionis in Ordine Mendicantium. Gigas de pension. quæst. 54. & 57. Garcias 1. p. cap. 5. Etsi verò vacet Beneficium per adeptionem Episcopatus, non tamen pensio, quæ isto casu non venit comprehensa nomine Beneficii.

XIX. Quintò per consolidationem, si pensionarius idem sic oneratum Beneficium adipiscatur. Nam res sua nemini servit, l. *Usfrui*, D. usufructuar. quemad. caveat. & l. *Si tibi fundi*, D. quib. mod. usufruct. amittitur. Sed si Beneficium evincatur sine pensionarii dolo, pensio de novo exurgit, quæ priore intervallo sopita fuerat, & Pensionario redintegratur. Gigas de pension. quæst. 49. Pastor lib. 3. tit. 12. n. 23. Sicuti actiones activæ restituantur hæredi, hæreditate evicta, quæ per additionem confusa, extinctæque videbantur, l. *Debitor*, D. ad Trebellian.

XX. Sextò pensio desinit quum interposita Papæ auctoritate debitor liberatur, sicut fieri paulò antè dixi per annatarum à Papa præscriptarum semel factam solutionem.

XXI. Septimò extinguitur, vel minuitur pensio interitu rei, si jura, aut prædia Ecclesiæ evicta sint, aut incendio, ruinâ, vel inundatione perierint. Sed si postmodum augeantur Ecclesiæ proventus, pensio quæ vel minuta fuerat, vel prorsus extincta, redintegratur, ut de censu emphyteutico sancitur l. 1. C. de jure emphyt. Rebuffus tract. de pacificis possessorib. num. 123.

XXII. Denique sit pensionis remissio iisdem ex causis propter quas faciendâ est remissio mercedis in locatione, ut si calamitosa tempestas in fructibus acciderit, l. *Licet*, & l. *Ex conducto*, D. de locat. his enim casibus & locationis merces, & pensionis quantitas minuenda est, cap. *Propter sterilitatem*, de locat. & conduct.

XXIII. Quando Beneficii possessor privatur juridicè fructibus Beneficii, tunc ipsa Ecclesiâ, cui fructus applicantur, pensionis solvendæ onere astringitur, quemadmodum de cæteris fructuum oneribus Leges disponunt, ob rationis paritatem in utrisque, l. *Si ut proponis*, C. de bonis proscript. l. penult. C. de sentent. pass. & restitut. l. unica, C. poenis fiscalib. creditor. præf. Nunquam enim præsumendum est, Papam voluisse obligare Beneficii possessorem, ut pensionem de suo solvat, si fructibus Beneficii frustretur. Riccius in praxi, decif. 334. Garcias 1. p. cap. 5. n. 226.

XXIV. Si Beneficii possessor resignet, transfert pensionis onus ad successorem, quia pensio Beneficiaria non aliter personam astringit, nisi quatenus rem ipsam possidet. Resque obligata, ad quemcunque deveniat, transit cum onere, l. *Si debitor*, C. de distract. pign. l. *Alienatio*, D. de contrahend. empt. cap. *Ex literis*, de pignoribus.

XXV. Scire permultùm refert, quâ parte anni solvendæ sint pensiones. Et quidem ubi non fuerit expressum, sive à Partibus in mutua conventionione, sive per Superioris decretum, inspicitur generaliter caput anni,

Z

l. *Nec*

1. *Nec semel*, §. 1. D. quando dies legat. ced. Sed quia ut plurimum constituuntur pensiones in fructibus, eo casu terminus intelligendus est, quo fructus Beneficii recipiuntur, juxta l. *Firmio*, §. *Pater*, D. quando dies legat. ced. Annus autem pensionis incipit ab adepta per resignatarium possessione, vel à die intimationis rescripti, quo pensio constituitur, facta possessori Beneficii; non verò absolute à Calendis Januarii, ne pensionarius qui antea cesserit, frustretur jure suo.

XXVI. Quod si in conventionem vel in rescripto pensionis adjecta sit dies, distinguendum sic est. Aut enim dies adjectur ad præcisam obligationem; & sic mortuo pensionario ante diem, non debetur pensio hæredibus illius, ob defectum conditionis non impletæ, mortuo ante illum diem pensionario: vel dies adjectur differendæ solutionis causâ, ne possessor Beneficii initio sui ingressus, nondum perceptis fructibus aut exactis redditibus, ad solutionem cogatur; atque isto calu, mortuo ante solutionis terminum pensionario, solvenda est pensio hæredibus ejus pro rata temporis ejusdem quo vixit anni: & integra debetur pensio, si post terminum interierit, ut docet *Gigas*. At si pensio divisâ sit in duas solutiones per semestria, mortuo post primum semestre pensionario, debetur hæredibus ejus integra illius semestris pensio: alterius verò semestris portio debetur hæredibus eisdem pro rata temporis quo pensionarius intra illud posterius semestre vixit; si mense uno, sexta pars; si duobus mensibus, tertia pars; si tribus mensibus, dimidia. At verò si dies non fuerit adjecta, tunc dies cedit initio cujuslibet anni (ut dixi) à die possessionis Beneficii computandi, & pensio integra hæredibus debetur totius anni, tametsi ante finem anni pensionarius excesserit à vita, ut dicitur de annuis legatis in l. *A vobis*, & in l. *In singulos*, & l. *Filia mee*, D. de annuis leg.

XXVII. Pensiones Beneficiarum olim quidem habebantur pro re temporali, sed eas in spiritualem statum Pius V. erexit. Nec enim earum voluit esse capaces, nisi Clericos non excommunicatos, neque irregulares. Et qui non aliunde astringuntur Ecclesiastico Officio, persolvere præcepit singulis diebus parvum B. V. Mariæ Officium. Pii V. Bullam refert Navarra Manual, cap. 25. n. 122. Cujus omissione pensionarii non faciunt fructus suos, & restituere tenentur quos indebitè perceperint.

XXVIII. Non tenetur pensionarius ad onera procuratorum Episcopis pro visitatione debitarum. *Gigas* de pension. quæst. 38. Sed eodem teste quæst. 28. n. 19. & *Fagnano* in cap. *Ad audiendam* 31. de rescript. aliisque communiter, obligatus manet pensionarius ad charitativum subsidium. contribuendum pro modo pensionis; itemque annuatim in nova provisione partem, & universim quamcumque collectam ex Beneficiorum fructibus solvendam, ut sunt decimæ, quas Regi vel spontaneè, vel Summi Pontificis jussione Clerus Regni persolvit, aliaque etiam temporalia, quæ pro

pro modo fructuum subsidia contribuuntur ab Ecclesiasticis, juxta Rebuffum tract. de pacif. possess. num. 138. & 139. Paponem lib. 3. tit. 5. Ratio communis est, quia cum pensio pars sit fructuum beneficalium, subicitur hoc ipso contributionibus ex fructibus Beneficiorum colligendis. Conciliumque Tridentinum sess. 23. cap. 18. Pensionarios simul cum Beneficiariis obnoxios facit contributionibus ab Episcopo taxandis pro constructione & stabilimento Clericalis Seminarium.

XXIX. Alexander Papa III. cap. *Audivimus*, de colluf. deteg. collusionem illam damnat ut flagitiosam, per quam ex mutuo partium consensu movetur lis super Beneficio, hoc fine ut per liti occasionem transactio fiat, per quam una pars pacifice Beneficium possideat, alteri vero pensio ex eodem Beneficio constituitur: jubetque Episcopo ut utramque Partium spoliet Beneficio & pensione.

XXX. Novissime in Gallia, rogantibus plerisque Præsulibus, Ludovicus XIV. mense Octobri, anno 1670. ad multos rescandos abusus edixit de pensionibus super Præbendis Ecclesiarum Cathedralium, aut etiam Collegiatarum aut Parochialium, seu super Beneficiis Curatis, hæc tria. Primum, ne liceat resignanti ullam sibi reservare pensionem, nisi postquam solidis quindecim annis Beneficio deservierit, aut saltem infirmitate laboret, quanvis breviori tempore deservierit, ob quam nequeat ulterius deservire. Secundò, ne pensio ulla tertiam fructuum partem possit excedere. Tertio, ut deducta pensione, adhuc supersit proviso solidus trecentarum librarum proventus, non computatis in hoc emolumentis casualibus, & deductis cunctis Beneficii oneribus. Nec tantum providet circa futuras, sed etiam circa jam antè constitutas pensiones, ut ad triplicem hanc Sanctionem reducantur: uno tamen excepto casu, si is qui olim resignaverat, eam prematur inopia, ut ei nec Ecclesiasticæ, nec patrimoniales opes suppetant ad sufficientem victum.



* C A P U T XV.

Edictum Regium de Pensionibus beneficiariis.

LUDOVICUS Dei gratiâ Rex Franciæ & Navarræ, præsentibus Literas inspecturis Salutem. Fideli relatione accepimus complures Ecclesiasticos satagere sibi provideri de Beneficiis curæ animarum annexis animo lucra capessendi inde provenientia, simulque semetipsos oneribus & laboribus eximendi per resignationes in favorem, retentis sibi optimis pensionibus, quarum ope deinceps

otio indulgeant : unde contingit ut resignatariis onera sustentibus congrui redditus minimè suppetant ; quo contigit ut huic damno tum Episcopi, tum Curia Regni nostri, pro locorum & temporum diversitate diversis remediis & judiciis mederi studuerint. Quia tamen Antistites & Consilarii nostro Regno passim dispersi rogarunt nos, ut uniformi lege per universam nostram Ditionem usque adeò noxios abusus refecaremus ; illorum supplicibus monitionibus inclinati, & solliciti providere ut Divinus cultus à sacris Ecclesiarum Ministris convenienti decore, & dignitate celebretur, presenti Edicto in perpetuum valituro decernimus, neminem præbendis Ecclesiarum Cathedralium, aut Collegiatarum, aut etiam Curis animarum provivum ullatenus posse præbendas aut Curas resignare cum pensionis reservatione, nisi postquam eisdem annos quindecim ad minus deseruerint, aut certè in eum infirmitatis gradum corruerint, ut deinceps talibus Curis aut Præbendis ministrare amplius nequeant. Quibus etiam casibus resignantes nihil amplius sibi titulo pensionis reservare poterunt quàm tertiam fructuum partem : hac etiam adhibita præcautione, ut resignatariis ac titularibus trecentæ annuæ libræ ad minus supersint integræ ad victum, emolumentis casualibus in his minimè comprehensis, deductis etiam quibuscunque oneribus Parocho incumbentibus. Statuimus pariter ut etiam antehac constitutæ Ecclesiasticæ pensiones ad hanc quoque præsentem formam reducantur ; hac tamen adhibita exceptione, ut teneant pensionum obligationes quandocumque anteriores resignantes illis deficientibus eò redigerentur, ut eis victus necessarius non posset suppetere, sive ex aliis Ecclesiæ proventibus, sive ex patrimonialibus bonis. Districte autem præcipimus omnibus quibus in nostris Ditionibus officium jurisdictionis incumbit, ut præsentis Edicti observationi sollicitè invigilent. Datum Sangermani ad Nemus, 4. Octobris die, anno post millesimum sexcentesimo septuagesimo.]



* C A P U T XVI.

Prosequutio beneficiarum Pensionum, in primis secundum Gallicanas consuetudines, deinde secundum Jus commune Canonicum.

IN primis pensionum Ecclesiasticarum super Beneficiis renunciatis Jura Gallicana conformantur Ludovici XIV. paulò antè commemoratæ Constitutioni.

I. Secundò Curia Regia nullam admittunt beneficiariam pensionem, nisi

nisi ex Summi Pontificis autoritate dimanarit : easque omnes obliterant & pro simoniacis habent , quas locorum Ordinarii constituunt , solis exceptis quas Episcopi Vicariis à se constitutis assignant , ut vicibus fungantur Præbendatorum aut Curatorum , qui sive ob delictum , sive ob imperitiam , sive ob ingruentem morbum , vel irregularitatem , vel dementiam suspensi sunt ab exercitio Ecclesiastico. Cùm enim hujusmodi casus sint inevitabiles , nec remedium aliunde quàm ab ordinariis locorum Prælati adhiberi possit , absolutæ necessitatis est hanc saltem jurisdictionis partem illis conservari , cap. *De Recloribus* , & cap. *Tua nos* , de Cler. agror. & cap. *Quavis trise* , 7. quæst. 1. At verò cæteras omnes pensiones ab Episcopis constitutas pro irritis & simoniacis habent Curia Gallicanæ , ut scribunt Rebuffus in *Praxi* , part. 1. tit. de reservat. tam generali , quàm speciali , num. 28. & 29. Chopin. lib. 3. de Sacra Politia , tit. 2. num. 17. Louetus & Brodeus litera *C* , num. 40. alique Gallicani. Idque contigisse scribit Rebuffus ex ignoratione Juris Canonici.

II. Doctores Gallicani qui ante promulgationem Edicti paulò ante memorati de pensionibus conscripserunt , docuerunt unanimes hunc esse Curiarum Regiarum usum , ut nunquam admittant reductionem earum pensionum , quas se exsolutores resignatori in sui favorem polliciti sunt resignatorii , quandiu vivet ; hæc enim petita reductio judicabatur odiosa , vitioque laborans ingratitude & perfidiæ. Solumque admittebant ejus posse postulari reductionem & diminutionem , eo mortuo , adversus illius hæredem vel successorem adusque tertiam reddituum partem , ex Jure Gallicano ; sic enim non infringi datam fidem , sublato ex vivis resignatore , cui soli de Beneficio erat obstrictus. Hoc docent Louetus & Brodeus lit. *P* , tit. 30. & Gigas tract. de Pensionib. quæst. 9. Anneus Robertus lib. 1. rer. judicat. cap. 7. Imbertus in *Praxi* , tit. *Pensio* : Chopinus lib. de Sacra Polit. tit. 2. num. 15. & seqq. At verò novum Edictum sancit & jubet ob publicum Ecclesiæ bonum , ut cunctæ etiam quæ præcesserunt de pensionibus beneficiariis conventiones ad tertiam fructuum portionem reducantur , deductis etiam Titularium oneribus & impensis , ut scilicet prævaleat Ecclesiæ sacra & communis disciplina oppositis privatorum noxiisque pactionibus : nisi quis insistat id officium à Legislatore injungi solis Judicibus & publicis Requisitionibus , sed non resignatoriis , illo adhuc superstiti , cui est obstricta fides.

III. Quandoquidem sola hæc viget in Gallia Regno consuetudo , ut non alia recipiatur per Episcopum constituta pensio Beneficii Ecclesiastici diminutionem inducens , sola hæc excepta , quam exigit necessitas instituendi per Episcopum Vicarii , qui onera suppleat provisi Titularis , qui ob impedimentum canonicum illa exequi prohibeatur : quæstio inter Canonum Professores in cæteris Christianis provinciis ventilari solet , utrum constitutæ ab Episcopis pensiones transeant ad Beneficii successorem , vi-

vente adhuc pensionario; an verò extinguantur morte illius cui primùm imposita fuit solvendæ pensionis obligatio? Et istius quidem morte desinere: possitque solus Papa ejusmodi pensiones decernere, quæ transeant ad Beneficii successorem, nec nisi morte pensionarii extinguantur. Negant istam Episcopis competere potestatem transmittendæ ad Beneficiarium successorem Ecclesiasticæ pensionis Glossa simul & Imola in cap. *Nisi essent*, de præbend. in quo Summus Pontifex approbat quidem factum judicium pacis conciliandæ gratiâ, ut inter duos de uno Prioratu contententes unus eorum de Prioratu provideatur cum onere solvendæ pensionis quadraginta librarum suo competitori; prohibet tamen illius pensionis onus extendi ultra vitam provili de Prioratu illo, & Beneficium ipsum afficere, sed tantummodò personam primi Titularis, etiamsi pensionarius supervivat. Idem docent Anan. in cap. *Audivimus*, de collul. deteg. Azorius part. 2. lib. 8. cap. 6. quæst. 1.

IV. Opposita verò sententia suos quoque graves habet Authores, posse nimirum ab Episcopo constitui pensionem, cujus onus in Beneficii quoque successores derivetur, superstiti pensionario. Idque docet Gambarus lib. 6. de offic. & potest. Legati, num. 385. & Parisius lib. 1. de resignat. quæst. 8. num. 44. Garcias num. 182. & Bonacina tract. de iis quæ ad Divin. Offic. in Choro publ. recit. pertinet. quæst. 6. punct. 3. num. 15. ubi quoque profert Rotæ Romanæ decisionem 699. num. 1. part. 1. diversor. suumque intentum hac ratione probat: Quia pensiones super Beneficiis, cum sint onera realia fundata super fructibus & distributionibus, subsistunt quandiu vivit pensionarius, & obligant quoscunque Titulares qui fructus ejusmodi percipiunt. Suadere pariter videtur æquitas, ne Episcopi interventu & suasionis qui suum jus ad beneficium sub onere pensionis resignaverit, decedente mox resignatario videat se simul & Beneficio & pensione excidisse. Disertè statuitur id cap. *Præterea*, de censib. *Præterea illi qui Episcopo IGNORANTE, auctoritate sua pensionem annuam de Ecclesiis quadam illusione solverint, sive receperint, eis defunctis in receptione pensionis non sunt aliquatenus audiendi, si Pontificis, aut alterius qui de jure facere potuerit, auctoritatem & assensum super hoc non intervenisse constiterit. Non enim simplices Sacerdotes vel Clerici possunt Ecclesias, quibus præsumunt, auctoritate sua, præsertim post decessum suum, efficere censuales.* Unde ritè infert Gambarus: Si igitur consensisset Episcopus, potuerat facere illam Ecclesiam, etiam post suum obitum, censualem. Et canon perspicuè supponit, idè post obitum illorum qui propriam Ecclesiam servituti census subjecerant, non posse censum impositum continuari, quia nulla intervenerat Episcopi auctoritas, vel approbatio. Sanlegerius qui magna laude Avenionem Jus dicendo, tum de Jure respondendo consenuit, parte 2. Quæstionum Beneficialium, cap. 1. §. 4. num. 7. oppositas Canonistarum sententias simul approbat & conciliat his verbis: *Inter pensionem auctoritate Summi Pontificis*

Pontificis impostam, & illam quæ auctoritate Episcopi nititur, hæc est notabilis differentia, quod illa quæ sit auctoritate Pontificis, etiam successores in Beneficio ligat: quæ autem sit approbatione Episcopi, successores in Beneficio non ligat, neque afficit. Limita, nisi pensio imposta & creata fuisset ab Episcopo pro bono pacis, & ad sedandas lites; quia tunc etiam afficit Beneficii successores, quantumvis solius Episcopi auctoritas in illius creatione intervenerit. Allegatque ad hoc Ebatianum discept. forens. cap. 17. n. 16. Quæ sanè Pontificiorum doctrina mihi admodum arridet; hoc enim præstat ut Episcopalis sollicitudo utiliter adhibeatur ad sopiendas Clericorum subditorum lites: quæ sollicitudo iners & inanis esset, si census conventus esset desiturus proxima resignantis morte. Scitè namque & prudenter alius quidam admonet canon: Nulla enim ratio hoc verisimile reddit, ut quisquam Beneficium multis foris expensis & laboribus acquisitum, quo sustentari debet, facile, sine causa sua magna, sponte resignet: atque ita illud abdicet in commutationem pensionis, quæ fortassis post paucos dies, unius interitu caduca sibi, & infructuosa sit futura, cap. Super hoc, de renunciat.

V. Communes autem qui ab Episcopis, aut ab inferioribus Prælatibus census ac pensiones in re beneficiaria constitui permittunt sacri Canones (etsi in Gallia non vigeant) ne tamen quidquam Juris communis ignoretur, istos huc selegi.

Can. Nisi essent, de præbend. possunt Judices arbitrarii, in quos duo electi compromiserunt, adjudicare uni quidem Prioratum cum onere pensionis annuæ alteri electo persolvendæ: Sic tamen ut non assignetur census ipsi Prioratui, sed soli persona Prioris; quo demùm vitâ functo, successor ejus nulli præstationi teneatur obnoxius.

Can. De cætero, de transact. si pro bono pacis Judex delegatus censum imponat alteri litigantium, Episcopus sine quo transactum fuerit, poterit transactionem approbare sine se factam: Sic tamen ut census annuus vitam ejus qui solverit non excedat.

Can. Ad quæstiones, de rer. permut. decernit Episcopum approbantem aliquam commutationem coram se factam, confirmare posse cum hac obligatione, ut ei qui locupletius Beneficium dimittit, persolvatur pecuniæ summa, quæ excessum dimissi opimioris Beneficii compenset.

Can. Cum venissent, de restit. spoliat. de auctoritate Eborensis Episcopi Rector cujusdam Ecclesiæ solvebat alteri Ecclesiæ certam pensionem quamdiu viveret: quod factum isto canone approbatur.

Can. Constitutus, de religios. domib. Episcopus remittendo jura Episcopalia cuidam Ecclesiæ, potest sibi censum super eadem Ecclesia reservare.

Can. De Rectoribus, & cap. Tua nos, de Cler. ægrot. & debilit. legitima propriaque auctoritate assignat Coadjutori à se constituto propter ægritudinem Clerici non valentis suum exequi ministerium, pensionem super præbenda Clerici invalidi sive corpore, sive mente. Quæ dispositio Episcopalis

palis eoque necessaria & inevitabilis est, ut ea deficiente Divinum ministerium, Sacramentorum collationem, Populi fidelis instructionem, Ecclesiarum cultum deficere necesse sit, ovesque Christi in apertum ruere interitum.

VI. Jam quaeritur utrum regressus ad Beneficium resignanti concedatur, in cujus gratiam Papa constituit pensionem super resignato Beneficio per consuetam in Curia Romana clausulam istam: *Necnon resignatario, necnon ejus in eodem Beneficio successore in solutione pensionis deficiente, seu illam ad minorem summam reduci petente, liceat eidem pensionario liberum habere regressum ad idem Beneficium, ipsiusque corporalem possessionem propria autoritate, per se vel per alium apprehendere?* Respondendum, quidquid in aliis servetur regionibus, illam propria autoritate sumptionem possessionis alienam esse ab usu Gallicano, qui & partium auditionem, & in judicio litis contestationem, & Judicis sententiam praerquirat. Servatis autem judiciorum formis locus erit regressus adjudicandi contra contumacem ac perfidum debitorem.

VII. Movetur quaestio, utrum Legatus possit admittere resignationem Beneficii sub onere pensionis? Id fieri posse negat Rebuffus. Quatenus enim in sua Praxi, tit. de resignatione condicionali, num. 1. & seqq. negat Legato Pontificio hanc potestatem competere admittendi resignationes conditionatas, nisi specialem à Papa obtinuerit potestatem, inde inferitur, ex mera & generali Legationis concessione hoc jure uti non posse. Sed omnis amovetur difficultas si Litera Delegationis specialem illi auctoritatem istam indulgeant: istud quippe perspicue sancitur cap. *Præterea*, de offic. jud. deleg. Atque ita judicavit Suprema Curia Aquensis die Octobris 10. anno 1658. in gratiam Brochii Arelatenis contra Grossetum, qui abusivam prætexebat in admissione renunciationis Beneficii cujusdam sub reservatione pensionis apud Vicelegatum Avenionensem facta: quam tamen Senatus expertem omnis abusivis pronuntiavit. Id refert Bonifacius tom. 1. Senatusconsultorum Provincialium, pag. 115. Haud certo scitur, utrum Diploma Pontificia tunc Legationis hanc singularem potestatem explicuisset, an vero implicite dumtaxat. Casus autem dicti capituli *Præterea*, non explicite quidem, sed implicite in literis Pontificiis delegatam jurisdictionem mandantibus involvebatur, ut cuius legenti liquet.

VIII. Canonice approbandi beneficiarias pensiones causæ Gallicano usu approbatæ, atque in solis Romanorum Pontificum, non verò in Prælatorum inferiorum provisionibus approbatæ, tres numero recensentur à Rebuffo in Praxi, lib. 1. tit. de reservationibus, cæterisque passim Gallicanis Jurisconsultis. Prima causa est ob bonum pacis & sedandas lites inter Clericos, cap. *Nisi*, de præbend. Secunda ne resignans nimium sustineat dispendium, cap. *super hoc*, de renunciat. Tertia in permutatione Beneficiorum, quorum redditus sunt inæquales, ut ubertas unius præ alio assignatione pensionis compensetur, cap. *Ad quaestiones*, de rerum permut.

CAPUT



CAPUT XVII.

De Beneficiorum permutatione.

BONIFACIUS VIII. cap. unico de rerum permut. in 6. non modò approbat Beneficiorum permutationes fieri coram Episcopis locorum, in quibus sita sunt Beneficia, sed etiam præfert jura sic permutantium omnibus Expectativis aliorum ab Apostolica Sede impetratis. Et Clement. unica eodem tit. irritas facit quascumque Beneficiorum commutatorum collationes in præjudicium compermutantium factas. Possunt itaque Episcopi, eorumque Vicarii, dummodò habeant speciale ab Episcopo Beneficia conferendi mandatum, hæc permutationes admittere, & pro permutantium voluntate eisdem mutuo & respectivè conferre: reliqui autem inferiores Prælati carentes Episcopali autoritate, non possunt in favorem compermutantium conferre. Poterunt nihilominus, si hoc jus præscriptione adepti fuerint. Rebuffus in Praxi, p. 3. tit. de permutatione, num. 20. Bellamera tract. de permutatione, cap. Tertiò quæritur.

II. Si compermutanda Beneficia in diversis Diocæsisibus sita sint, necesse erit intervenire utriusque Episcopi autoritatem: sed ad majus commodum & facilitatem alter eorum poterit vicem suam & potestatem admittendi & conferendi alteri Episcopo committere, ut omnia procedant coram uno eodemque collatore. Gloss. in cap. unico, de rer. permut. in 6.

III. Propriâ autoritate Beneficia permutantes eadem amittunt ipso jure, cap. Cum olim, de rer. permut. Itaque tanquam vacantia possunt statim ab aliis impetrari.

IV. Præter Prælati interventum Episcopalem autoritatem habentis, quæ est prima à nobis jam examinata conditio, requiritur secundo illorum notitia ad quos spectat vel electio, vel præsentatio Beneficiorum quæ permutantur: aliàs enim invalida erit permutatio. Gloss. in d. Clement. unica de rer. permut. Qui debite interpellati si consentire sine justa causa recusant, tunc eis invitis, si permutatio nullo impediatur canonico obstaculo, poterit Collator eam admittere & conferre. Abbas in cap. Nullus, de jurepatron. Federicus tract. de permut. Benef. quæst. 24. Rebuffus d. tit. de permut. num. 22. asserens hunc esse communem Galliarum usum circa Patronos Ecclesiasticos: sed Laicorum Patronorum prius esse consensum necessarium, alioqui fore irritam permutationem, asserit ibid. num. 31.

A a Quod

Quod idem censendum de necessario Regis consensu, si Beneficium Regiæ nominationis permutetur.

V. Tertio requiritur ut permutatio fiat rerum ejusdem generis, spiritualium cum spiritualibus, juris in re cum jure in re, & non cum jure ad rem; sic enim mutare non licet mandatum vel nominationem ad Beneficium cum præfenti Beneficio, cap. fin. de rerum permut. Federicus in d. tract. de permut. benef. q. 13. Matthæus de Afflictis decis. Neapol. q. 17. Neque mens hæc Papæ fuit, ut literæ suæ & mandata extendantur ad aliam quàm quæ ibi designatur personam. Neque etiam aliquis decimas vel jus patronatus cum Beneficio validè permutaverit, juxta Doctores ad d. cap. fin. de rer. permut. & Rebuffum loc. cit. num. 24. Plura tamen Beneficia cum uno Beneficio possunt & validè, & licitè permutari, argumento legis *Cum Prætor*, D. de judic. sunt enim res ejusdem naturæ, neque Jus ullibi prohibet. Ratio verò æqualitatis, quæ justas reddit permutationes, locum hîc habere potest & plura enim minoris proventus Beneficia æquivalent unico opulentiori. Federicus loc. cit. quæst. 12. Rebuffus d. tit. de permut. num. 40.

VI. Quarto requiritur, si fiat permutatio coram Summo Pontifice, ut cætera simul compermutantium Beneficia sigillatim exprimantur, ut à Romana Rota judicatum, & à pluribus Doctoribus traditum refert Rebuffus ibid. num. 34. quanvis Federicus loco cit. quæst. 18. neget id esse necessarium in permutationibus. Saltem tutius est contra litigatores Beneficiorum avidissimos aut cuncta exprimere, aut clausulam referre, ut tacita pro expressis habeantur.

VII. Valida Beneficiorum permutatio est non modò inter se conformium, sed etiam difformium, exempli causâ Dignitatum cum Personatibus, simplicium cum curatis, Commendarum ad vitam cum titularibus; quia Commenda perpetua vicem habet Tituli. Panormitanus in cap. *Cum olim*, de rerum permut. Federicus loco cit. quæst. 6. & seqq. Rebuffus num. 51.

VIII. Admissa resignatione ex causâ permutationis, Beneficia non aliis possunt quàm permutantibus conferri, d. cap. unico, de rer. permut. in 6. & Clem. unic. eod. tit. Et si secus fiat, invalidè conferuntur; quia non aliàs aut aliter intendunt permutantes resignare, nisi ad hunc permutationis finem.

IX. Si evinci contingat Beneficium permutatione quæsitum, datur regressus ad alterum dimissum, ratione tacitæ conditionis in illa dimissione inclusæ, si permutatum Beneficium non fuerit evictum: sine qua nemo proprium dimitteret Beneficium. Rota decis. 9. in antiquis. Rebuffus tract. de pacif. possess. num. 145. Papo lib. 2. Placitorum, tit. 7. num. 2. Faber Cod. de sacros. Eccles. defin. 53. Et apertè favet cap. *Si beneficia* 20. de præbend. in 6. Atque conceditur iste regressus sine nova provisione,

&

& sine nova in possessionem immessione. Requiritur tamen in hoc Regno sententia declaratoria apertionis regressus per Regios Judices, qui sibi possessoria Beneficiorum judicia ita vindicant, ut sine horum cognitione & decreto vacaturum procul dubio sit Beneficium, & alienæ impetrationi aditus aperiatur. Papo lib. 2. Placitorum, tit. 7. num. 2. Faber Cod. de sacros. Eccles. defin. 53. Duarenus lib. 8. de Benef. cap. 3. Regressus etiam locum habet mortuo compermutante, adeo ut hujus Beneficium tanquam per obitum vacans non possit impetrari ab alio in præjudicium illius qui jus habet regressus in illud. Rebuffus d. tit. de permutat. num. 13. ubi sæpe ita decisum se vidisse affirmat. Charondas lib. 1. Responsorum, cap. 24. & idem lib. 1. Pandect. cap. 10. & 11. Despeisseus tract. de Benef. Eccles. tit. 11. sect. 2. artic. 4. num. 4. quibus etiam locis iidem asserunt, non esse opus ad hunc regressum nova collatione, sed necessariam esse Regii Judicis sententiam in causa possessorii.

X. Ex eo quod admissa resignatione ex causa permutationis non possint Beneficia aliis quam permutantibus conferri, juxta Clement. unicam de permutat. inferunt Rebuffus p. 3. praxis, tit. de permutatione, num. 28. Louetus lit. B, num. 13. aliique, quod admissa per Episcopum resignatione in causa permutationis, si uni fuerit collatum Beneficium antequam ejusdem permutantis fuerit admissa resignatio, ejusque vicissim Beneficium alteri compermutanti collatum fuerit, & inter has moras iste compermutans moriatur, jus accrescere superstiti, ut utrumque Beneficium retineat. Non enim priore excidit quod pridem possidebat, quia adhuc illud tenet, cum non resignaverit: manet itaque in pristina ejus possessione; & aliunde focii compermutantis debetur ei Beneficium, quia non vacat per focii obitum, quandoquidem ante ejus mortem jam fuerat resignatum, & legitime superstiti focio collatum.

XI. In permutandis Beneficiis aliisque spiritalibus rebus pacta quædam aliquoties apponuntur illicita. Ejusmodi est conventio, ut permutatum Beneficium alicui tertio conferatur non habenti jus in illo, vel etiam ut ei pensio assignetur. Non possunt hæc fieri, neque conveniri coram Ordinario, quia quæcunque in resignatione adhibita conditio censetur simoniaca, saltem Jure Canonico: quod simoniæ genus cum non veteretur Divino Jure, à Summo Pontifice ex potestatis plenitudine purgari potest. Navarra Manual. cap. 23. num. 107. Lessius lib. 2. de just. cap. 35. dub. 14. num. 87. Nec legitur in toto jure Papam aut Concilium indulsisse potestatem Ordinariis purgandi conditiones resignationibus appositas, nisi in sola Beneficiorum permutatione. Est verò generalis prohibitio cap. ult. de pactis: *Pactiones (inquit) factæ à vobis pro quibusdam spiritalibus obtinendis, cum in hujusmodi omnis pactio, omnisque conventio debeat omnino cessare, nullius penitus sunt momenti.*

XII. Ita quoque pactio in permutatione pravitate simoniacâ foedatur,

cum promittitur aut permutatur fundatum Beneficium cum Beneficio fundando; quo enim tempore ita convenitur, unicum existit Beneficium, simulque pecunia, quæ res est merè temporalis & profana, quanvis futuro alicui Beneficio destinetur quod actu non existit. Itaque præter defectum illum generaliter prohibitum pactiois circa spiritualia, cap. ult. de pact. gravior hic defectus intervenit simoniæ à jure Naturali Divinoque, simulque à Concilio generali Chalcedonensi can. 2. prohibita, ne pecunia detur, accipiatur aut promittatur pro sacris Ordinationibus, aut pro Ecclesiasticis ministeriis: & habetur in can. *Si quis Episcopus*, l. q. 1. Expressior etiam est ad hunc casum can. *Ex multis*, l. q. 3. damnans simoniacæ pravitatis eos qui pro Beneficiis acquirendis paciscuntur fundaciones Ecclesiarum à se faciendas, aut donaria Ecclesiis aut pauperibus contribuenda. Huc etiam spectat cap. *Tua nos*, de simon. declarans simoniam committi, si quis de bonis suis conferat ad novi Beneficii fundationem, eâ conditione, ut sibi id Beneficium, aut alicui suorum conferatur. Et sic judicavit Aquifextiensis Senatus. Cum enim Parochus Ecclesiæ Oliolensis in Tolonenfî Diocesi curam suam dimisisset ex causa permutationis pro Capellæ Rectoria, quam resignatarius se sponderat fundaturum cum jure patronatus, & super ista fundatione impetratum fuisset Apostolici Legati rescriptum, Præbenda illa Parochialis adjudicata fuit devolutario, qui illam ut vacantem per simoniam impetraverat contra resignatarium, & à rescripti executione tanquam ab abusu appellaverat, ut refert Pastor lib. 3. de benef. tit. 11. n. 7.

XIII. Pacta quædam recensentur in hisce permutationibus apponi solita, sed non aliter valida, nisi Summi Pontificis dispensatione roborentur, ut si convenient permutantes de solvendo alieno are contracto propter Beneficium compermutatum; alioquin enim successor in Beneficio solvere tenetur nomina seu debita contracta pro Ecclesiæ necessitate ab antecessore suo, cap. 1. de solution. Expensas verò quas præcessor Beneficii fecit, non in Ecclesiæ, sed in propriam utilitatem, pacisci à successore prorsus est simoniacum: item de solvendis Bullarum seu expeditionum impensis. Navarra consil. 7. & 14. de simonia.

XIV. Si verò Beneficiorum permutatio fiat in periculo mortis, aut in decrepita senectute; item si fiat cum consanguineo, proximo aut familiari, aut si citra inæqualitatem Beneficiorum reservetur pensio, aut si uterque sibi pensionem reservet, aut si conveniatur de pensione in gratiam tertie personæ, istis casibus permutatio ac reservatio fieri præsumitur in fraudem, vel animo negotiandi; & talis reprobatur permutatio. Idemque præsumendum & dammandum, si pensio super alio quàm compermutato Beneficio constituatur, & si sit magna Beneficiorum sine ulla compensatione inæqualitas, aut si fiat permutatio cum ficto Beneficio, quia propria bona sine aliqua argente causa disperdere velle nemo præsumitur, l. *Cum* de

de *indebito*, D. de probation. Nullaque ratione verisimile fit, ut quisquam Beneficium multis fortè expensis, & laboribus acquisitum, quo sustentandus est, sine aliqua gravi causa sponte resignet, ut dicit cap. *Super hoc*, de renunciatione. Præterea dolus præsumitur, si quis post resignationem in ejusdem à se resignati Beneficii possessione perseveret. Hæc docet Rebuffus d. tit. de permutatione, n. 42. & seqq. & in glos. ad Concordata, tit. de collationibus, §. *Volumus*, glos. ult.

XV. Denique in casu permutationis Beneficiorum, quemadmodum & in aliis resignationibus, servanda regula est de publicandis resignationibus, de qua inferiùs tractabitur hoc ipso lib. 2. cap. 18. Hoc denique tenendum, certissimam esse regulam, si remittatur Beneficium, ad cuius compensationem promittatur titulo permutationis aliud indefinitè Beneficium similis ac paris proventus, id non censi permutationem, sed nudam & inefficacem pollicitationem, quam nunquam confirmat Papa, neque licet Ordinariis admittere. Unde si alter à quo resignatum ex ea causa fuerit Beneficium, moriatur, vacabit Beneficium per obitum. Ita Mornacius ad l. *Rebus*, C. de rerum permut. Permutationes enim esse debent de certo & determinato Beneficio ad aliud peræquè certum & determinatum.



CAPUT XVIII.

De jure Regressus.

I. **G**ENERALIS regula Canonici Juris hæc est, eum qui semel Beneficio suo renunciavit, non posse illud repetere, cap. *Ex transmissa*, cap. *Super hoc*, & cap. *In presenti*, de renunciatio. Ideo revocatio semel admittæ resignationis nulla & irrita est, etiamsi successor possessionem abdicati ab alio Beneficii nondum sumperit. Sic judicatum Parisiis refert Charondas lib. 1. Responsorum, cap. 21. Idemque juris est etiam cum resignatarius reperitur incapax Beneficii, ut aliis Supremarum Curiarum judiciis confirmat Brodeus in Louetum lit. B, cap. 13. Neque resumitur Beneficium potest, quanvis conditio in renunciatione illius addita fuerit, ut si vivo resignante vacaverit sive percessum, sive per decessum resignatarii, revertatur Beneficium ad resignantem absque nova provisione. Istiusmodi namque provisiones sub forma regressus obtentas jubet esse irritas Carolus IX. in Aurelianensibus Comitibus, art. 22. Verumtamen si accedat nova ejusdem Beneficii collatio in gratiam resignantis, poterit idem resumere, non ex illa conditione regressus, sed

Art. 3

sed

sed ex vi novæ provisionis, quanvis jurasset se idem Beneficium non repetiturum, ut dicit expressè cap. *Cum inter*, de renunciat.

II. Regressus porrò ad idem Beneficium conceditur resignanti. In primis in mutua compermutatione, si contingat unum ex compermutatis Beneficiis evinci. Nam is qui istud sic amisit, jus habet resumendi abdicatum à se in causa permutationis Beneficium, ut proximè superiori capite, num. 9. dictum est, etiam citra novam provisionem; non tamen in hoc Regno citra Regii Judicis declarationem, cui in his attribuitur iudicium possessorium. Rebuffus in Praxi, p. 3. tit. de permutation. num. 11. 12. 13. & 16.

III. Regressus pariter admittitur ubicumque aliquis suo pristino renunciavit Beneficio ad novi Beneficii suscipiendam collationem, vel quia ambo simul sunt incompatibilia, vel quia noluit plura simul tenere Beneficia contra Ecclesiasticos Canones, vel quia noluit Collator aliter conferre, nisi prius dimitteretur, aut alia ex causa. Si ergo contingat istud novissimè collatum Beneficium evinci, is qui pristinum Beneficium pro hoc secundo capessendo dimiserat, jus habet regrediendi ad primum Beneficium, quanvis fuerit alteri collatum & possessioni datum, cap. *Si Beneficia* 20. de præbend. in 6.

IV. Tertio etiam conceditur regressus, si contingat unum ex permutatis Beneficiis vel nova pensione onerari, vel etiam veteri pensione, modò id quando permutavit ignoraverit, ut plurimis tum Senatusconsultis, tum Regii Consilii Placitis iudicatum refert Papo lib. 2. tit. de permutatione Beneficiorum 7. art. 4. & 5. Etiam excludendo possessorem, qui per resignatarii obitum impetraverat, ut solenni omnium Camerarum convocatione in Purpureis Togis decidit Parisiensis Senatus die 7. Decembris anno 1565. teste Charonda lib. 1. responsorum, cap. 24. & lib. 1. Pandectarum, cap. 11.

V. Quarto admittitur regressus, si resignatarius conventam & à Papa approbatam pensionem non solvat, modò saltem clausula regressus fuerit apposta in literis Papæ, quibus ista constituta fuit pensio. Gigas de pensionib. quæst. 99. n. 18. Azorius p. 2. lib. 8. cap. 9. quæst. 4. In Gallia clausula regressus, licèt non apposta, subintelligitur ad regressum adjudicandum contra resignatarium non solventem pensionem. Brodeus in Louetum lit. B. num. 13. Bonifacius lib. 2. tom. 1. Senatusconsultorum Provincia, tit. 10. cap. 6.

VI. Quintò in toto Gallia Regno ei qui in infirmitate gravi constitutus resignaverit, datur regressus post valetudinem recuperatam, aut periculi cessationem, sive purè resignaverit, sive in favorem, sive simpliciter, sive sub pensionis reservatione, sive coram Legato, sive coram Ordinario, ut declaratur Edicto Ludovici VIII. anni 1638. art. 20. nec tantùm contra suum resignatarium, sed etiam contra resignatarii successorem, ut declaravit

declaravit Tolosana Curia in gratiam Gansardi Præcentoris Ecclesiæ Aquisextiensis, qui metu mortis Præcentoriam cum reservatione pensionis resignaverat in favorem, cujus resignatarius mox se eodem Beneficio abdicaverat in alterius tertii favorem. Pastor lib. 3. tit. 9. num. 2. Quum enim aliquis non sponte renunciavit, Clemens Papa III. concedit ei regressum ad Beneficium. *Nulla enim ratio (inquit) hoc verisimile reddit, ut quisquam Beneficium multis fortè expensis & laboribus questum, quo sustentari debet, facile sine magna causa, sua sponte resignet*: cap. *Super hoc*, de renunciat. Et formido urgentis in ægritudine mortis, si non adimit, saltem valde minuit hominis libertatem, & adigit ad ea quæ nunquam alioqui in animum induceret, cap. *Literaturam*, de voto. Præterea cum omnis qui in ægritudine periculosa renunciat, nequaquam hoc faceret si sciret se ex illa infirmitate convaliturum, omnis quæ tunc fit renunciatio hanc secum tacitam involvit conditionem jure præsumptam, Nisi de hoc morbo convaluero. Præterea rationabilior est causa succurrendi sic resignanti quam ei qui in simili constitutus infirmitate vovit; hic enim vovens intendit promissum exequi si convalescat: resignans autem non intendit renunciare si convalescat; & nullatenus renunciaret, si se convaliturum sciret. Et tamen d. cap. *Literaturam*, de voto, illam remittit promissionem expressis verbis Deo nuncupatam in illo qui ægritudine decumbens, mortis pavore Religionem vovit, si sospes exurgeret. Multò ergo magis videtur remittenda resignatio quæ nullatenus fieret, si quis mortem se sciret evasurum. Bonifacius tamen d. tom. 1. lib. 2. tit. 10. cap. 2. refert aliquando judicatum, non esse regressui locum, si fuerit resignatum coram Ordinario: sed communis sententia hoc etiam extendit ad Ordinarium; licet enim liberè confecerat, non tamen confert vivente Beneficiario, nisi hic liberè resignet: atque ita manet hæc etiam communis & fundamentalis ratio regressus, quod scilicet non resignasset æger, si se superstitem & convaliturum præcivisset.

VII. Sexta justæ regressus causa est criminis capitalis accusatio, cujus incerti successus formidine aliquis proprium Beneficium abdicat, quod repetendi jus habet postquam judicium condemnationis evaserit. Sed ne repetitionibus indulgeam, consulito quæ hac de re accuratè pertractavi hoc ipso lib. 2. cap. 10. num. 1. 2. 3. tam de resignatione quæ fit pendente criminis lite, quam quæ fit post condemnationis sententiam, sed appellatione suspensam.

VIII. Olim ad regressum novâ ab Ordinario provisione opus erat, sed hodiernâ praxi res ita geritur. Regredi volens in Regno Galliæ Judicem Regium oblato libello convenit, ejusque decreto resignatarius citari curat, infirmitatem præteritam Medicorum attestazione probat, aliamve causam propter quam regressum petit. Demùm auditis partibus & examinatis probacionibus, Judex cui more Gallicano judicium possessorium attri-

butum.

butum est, resignatarium possessione per sententiam dejicit, eamque petenti regressum adjudicat. Hic verò Ordinarium adit, à quo admittatur in pristina quibus ante resignationem potius erat jura ordinis & sessionis & vocis in Capitulo, sine ullo retrocessu aut diminutione fructuum, atque ministerii, perinde ac si nunquam renunciaisset; neque tenetur ullum pro novo ingressu vectigal Capitulo exsolvere. Louetus lit. B, num. 13, nec ullatenus ullà provisione aut collatione opus habet. Oliva lib. 1. Placitorum, cap. 19. Despeisseus tract. de Benefic. tit. 11. sect. 2. art. 6. Rebuffus in Praxi, p. 3. tit. Ratione personæ & rei vitiatæ resignatio, num. 19. Chopinus lib. 1. de sacra Politia, cap. 8. num. 8. aliique communiter. His suffragatur lex *Qui ad tempus, §. Restitutus*, D. de decurion. ubi statuitur restitutum Decurionem tenere ordinem, non quasi nunc primum nanciscatur, sed quem pridem habuit. Neque verò his obstat cap. *Ex transmissa*, de renunciat. dum sic ait: *Illum non tanquam unum de Ecclesia, sed quasi de novo recipiendum à Papa, & fratre*. Respondetur enim illum de novo mandari recipiendum à Papa, non ex jure, sed ex liberali gratia & pura commiseratione; quia diuturno elapso post suam renunciationem tempore eandem confirmaverat, dum ea quæ liberaliter illi Ecclesiæ contulerat, repetere, atque per insignem atque indebitam indulgentiam sibi solo pacis studio relaxata, sibi resumere non erubuit, ut ibidem dicitur.

IX. Resignatio vi aut metu extorta nulla est, cap. *Super hoc*, de renunciat. Ideoque datur resignanti regressus in Beneficii dimissi possessionem, cap. *Abbas*, & cap. *Ad aures*, & cap. *Ad audientiam*, de his quæ vi metulve causâ fiunt. Si tamen metus causâ levis fuerit, nec cadens in virum constantem, resignatio facta stabit, cap. *Cum dilectus*, eod. tit. Et si qui metu adactus fuerat liberè postmodum consenserit, reconvalescet resignatio. Rebuffus tit. de resignat. metu extort. n. 7. 8. 9. & 10.

X. Idem juris est in resignatione, cui fraus aut dolus causam dedit. Ratio est, quia illa resignatio non potest cenferi voluntaria. Voluntarium enim, ut ab Aristotele definitur, est quod proficiscitur à principio intrinseco cognoscente singula in quibus est actio. Ea verò cognitio non potest esse in animo cui fraus aliena per mendacium aut fictionem illufit. Rebuffus in Praxi, p. 3. tit. de causis resignat. irritant, à num. 1. ad 12. In his causis opus ei qui resignavit incumbit probandi vim, metum aut dolum, d. cap. *Super hoc*, de renunc. Atque his casibus resignatio aded nulla cenferitur ex defectu consensus, ut nec literis opus sit in integrum restitutionis; sed resignans obtinet tamen in judicio possessorio literas Regias, quibus Judici mandatur, ut si probetur vis aut metus, aut dolus qui causam resignationi dederint, nulla ejus resignationis habitâ ratione, confirmet in possessione Beneficii resignantem, aut eundem in possessionem vindicet, si fuerat spoliatus. Sed literæ istæ non sunt rescissionis, neque hîc agitur rescissorio judicio, sed perinde ac si nulla fuisset resignatio facta, cum sit ipso

ipso jure nulla & inanis. Rebuffus d. tit. de caus. resignat. irritant. n. 11. & 12. Despeisseas tit. 11. sect. 2. art. 5. num. 8.

XI. Renunciatio à minore annis viginti quinque facta, non est quidem hoc ipso invalida, sed cassa fiet per restitutionem in integrum, si velit resignans ab ea resilire. Rebuffus d. tit. *Ratione person. & rei vitia. resignat.* num. 1. 2. 3. 4. 5. 6. Papo lib. 3. Placitorum, tit. de restitution. major. & min. in re benefic. 11. art. 1. Charondas lib. 1. Pandect. cap. 10. Louetus cum Brodeo litera B, cap. 7. Despeisseus art. 5. num. 10. penes quos hæc adstruuntur quamplurimis Senatufconsultis. Neque his obstat cap. *Si annum*, de judiciis in 6. statuens puberem posse in causis beneficialibus perinde ac si major esset annis viginti quinque, admitti in judicio. Hoc enim concessio restat adhuc ei restitutionis beneficium, & donec obtinuerit, res per eum acta valebant. Si enim per se nullæ ac irrita forent, superflua esset restitutio, sicut paulò antè monui non opus esse restitutione aut rescissione contra resignationem vi, metu, doctore extortam, quia talis resignatio per se nulla & irrita est. Et hæc quidem de jure communi, sed non de jure Francico, in quo prævalet istud effatum forense, *Nullitas in Gallia locum non habet*, sed quæcumque illa sit, reparanda est per Regias restitutionis Literas.

* XII. In actis Cleri Gallicani, tom. 2. tit. 22. commemoratur Supremæ Parisiensis Curia Senatufconsultum, ut sit norma & specimen tum juris regressus in Regno Gallia recepti, tum resumptionis jurium omnium capitularium succedentium post resignationem ejus qui per regressum restituitur, ita ut regrediens præferatur in ordine sessionis & jure optandi, cæterisque privilegiis, prævaleatque cæteris qui post resignationem in idem Collegium recepti fuere. Ipsum verò factum est hujusmodi. Franciscus Verjus Cathedralis Ecclesiæ Matisconensis Canonicus periculosa ægritudine confictatus, purè & simpliciter Præbendam suam abdicavit in manus Capituli sui, quod jure veteris consuetudinis, & juxta cap. *Cum Ecclesia Vulterana*, de elect. potitur privilegio Præbendas Canonicas conferendi. Consensu autem communi Capitulum resignatam præbendam contulit resignantis nepoti Philiberto Verjusio. Sed transactis aliquot mensibus, Franciscus ex gravi morbo convalescens abdicatam à se præbendam resumit. Cùmque post ejus in morbo resignationem alii de novo fuissent diversis provisi Canonicatibus antequam Franciscus fuisset ad pristinum Canonicatum regressus, eidem Francisco in causa contradictoria idem Senatus adversus quatuor contententes Canonicos intermedio tempore admissos, & præfessionem, & vocis prærogativam, & jus optandi, omnemque aliam prærogativam adjudicavit perinde ac si nunquam se Canonicatu demississet.]



CAPUT XIX.

Ad regulam, De infirmis resignantibus.

I. **P**LERÆQUE sunt circa rem beneficiariam regulæ Cancellariæ. Nos hîc præcipuas exequemur, quæ usu vigent in Galliæ Regno. Sunt verò istæ. 1. De infirmis resignantibus. 2. De triennali possessore. 3. De annali possessore. 4. De publicandis resignationibus. 5. De non tollendo jure alteri quæsitò. 6. De veto simili notitia.

II. Regula de infirmis resignantibus his verbis concipitur: *Item voluit, quod si quis in infirmitate constitutus resignaverit aliquod Beneficium, dimiserit, aut illius commenda cesserit, seu ipsius Beneficii unionis dissolutioni consenserit, etiam vigore supplicationis dum esset sanus signata, postea infra viginti dies à die per ipsum resignantem præstiti consensus computandos de ipsa infirmitate deceaserit, ac ipsum Beneficium quavis auctoritate conferatur per resignationem sic factam, collatio hujusmodi nulla sit, ipsaque Beneficium nihilominus per mortem censeatur vacare.*

III. Ut autem certa habeatur notitia diei obitus, providit Franciscus I. Edicto anni 1539. artic. 50. & 51. dum jubet in Ecclesiarum registro conscribi diem sepulturæ Beneficarii defuncti, ipsius Parochi manu, aut alterius qui tunc existat illius Ecclesiæ Superior; necnon subscriptio adjunctur publici Notarii ad subscriptionem Parochi vel alterius Superioris. Jubet præterea art. 54. domesticis Beneficarii defuncti sub pœna corporali, ut veniant notificatum sincerè dictis Ecclesiis prædicti obitus diem. Ipsi verò corporis defuncti recelatoribus laïcis pœnam mortis indicit, Clericis verò omnimodam exclusionem à Beneficiis defuncti, & præterea graves pecuniarias multas Judicis arbitrio infligendas, art. 55. Quod si ad hunc finem corpus exenteraverint, incurrunt per Extrav. 2. de sepultur. in communib. in locis in quibus hæc extravagans recepta est, excommunicationem Papæ reservatam, nec solàm facientes, sed etiam efficaciter fieri mandantes aut consulentes. In hoc Regno, aliisque pluribus locis ea pœna non est recepta: passim enim & citra scrupulum exenterantur etiam à timoratis personis defunctorum corpora, hoc est viscera eorum eruuntur, ne corpus tam citò foeteat & corrumpatur, possitque commodius aliò transferri. *ἔντερον* vox Græca nihil aliud significat, quàm viscera & intestina: Græcumque *ἐντερίδιον* nihil est quàm intestina de animali eximere, & metaphoricè medullam de planta eruere. Et ait Raphaël Tobie 6. *Exentera*, hoc est, eviscera hunc piscem.

IV. *Itam*

IV. Iſtam de infirmis reſignantibus regulam primus ediderat Innocentius Papa VIII. cum hac clauſula, *Reſignaverit ſive ſimpliciter, ſive ex cauſa permutacionis*. Sed eam Julius III. obliteravit. Nihilominus tradit Rebuffus p. 3. tit. de infirmis reſignantib. gloſ. 4. valere hanc regulam in caſibus etiam reſignationum, quæ ſunt ad permutanda mutuo Beneficia; ſicque judicatum in Curia Pariſienſi die Julii 12. anno 1578. refert Lepreſtre centur. 2. cap. 39. Bengueus item tract. de canonicis institutionum conditionibus, §. 10. num. 9. aſſerit pariter valere hanc regulam in caſu etiam permutacionis Beneficiorum. Addit Rebuffus loco cit. cum qui permutavit Beneficium cum ægro qui intra viginti dies exceſſit, non habere jus priſtinum Beneficium ſuum recuperandi, hac ratione, quia qui cum graviter ægotante ſic permutat, præſumitur fraudem moliri in præjudicium expectantium & Ordinariorum: neque jura intendere quempiam in vitæ confinio de Beneficiis Eccleſiæ tanquam de hæreditaria portione ac ſucceſſione diſponere, can. *Epifcopo* 1. & 2. & can. *Plerique*, & can. *Moyſes*, 8. quæſt. 1. Præterea huic iſtâ occasione permutanti imputandum eſt quod ſe ultrò huic periculo expoſuerit, ſiquidem cogitare debuit fore, ut hic moreretur quem videbat ægritudine laborare. Itaque cap. 2. in fine, de renunciat. in 6. de renunciantibus ac permutantibus in fraudem his verbis edicit, *Ut & habita præbenda, & ambita ſimul omnino careant*.

V. Non ſunt Doctores unanimis, valeatne regula de infirmis reſignantibus, quando in reſignatione clauſula iſta inſerta fuit, *vel aliàs quovis modo vacet*? Et remedio hujus clauſulæ ceſſare regulam iſtam, & reſignatario jus acquiri, quanvis intra viginti dies reſignans de eadem in nitate moriatur, docet Gomeſius ad regulam de verofimili noticia, num. 54. & Paſtor lib. 3. de benef. tit. 2. num. 6. dummodò per fraudem non fuerit cadaver occultatum ad antevertendos omnes per obitum impetraturos. Ex adverſo nullatenus per illam clauſulam impediri hujus regulæ effectum, docet Rebuffus d. tit. gloſ. 14. num. 13. & Charondas, qui libro 1. Pandect. cap. 10. ita fuiſſe judicatum refert à Senatu Pariſienſi: & Mainardus, qui lib. 1. cap. 59. ſimile proferit Senatusconſultum Curiæ Tolofanæ. His accedit ratio. Cùm enim tempore reſignationis non vacaret beneficium per obitum, præſumi non poteſt voluiſſe Papam conferre Beneficium per obitum dum vivit reſignans, aut voluiſſe conferre Beneficium vacaturum, ſed tantùm actu & de præſenti vacans per ſolam reſignationem. Aliud quidem juris eſſet, ſi poſt mortem reſignantis Papa reſignatarium illum de eodem Beneficio provideret tanquam per mortem vacante, dummodò jus alteri non fuerit antea quaſitum; ſic enim fieret ut taliter proviſus vero titulo niteretur, & non irritæ & caducæ reſignationis.

VI. In Regno Galliæ illi viginti dies non ſolent computari à die præſtiti per reſignatorem conſenſus, ut vult iſta regula; ſed à die admifſiæ per Collatorem reſignationis. Atque ita ſæpius in Supremis Regni

Curtius judicatum testantur Boërius quæst. 358. & Rebuffus d. tit. glos. 10. num. 10.

VII. Quid si sanus aliquis resignaverit, & post resignationem in morbum inciderit, cujus vi decesserit intra viginti dies ab ipsa resignatione computatos? Isto casu non est huic loci regulæ expressis verbis dicenti: *Si quis in infirmitate constitutus resignaverit.* Valebit itaque resignatio. Rebuffus d. tit. glos. 2. n. 2. & 14.

VIII. Regula ista etiam expressè dicat, *Si Beneficium quavis auctoritate conferatur per resignationem sic factam,* non admittitur intra Regnum Galliæ in resignationibus quæ fiunt coram Ordinariis, sed ad eas solas restringitur quæ fiunt coram Papa vel Legato. Idque firmatur innumeris Supremarum Galliæ Curiarum judiciis, quibus ab Ordinario in vim resignationis provifus exclusit provifum per obitum qui contigerat intra viginti dies factæ in morbo resignationis. Sic tradunt Gallicani Authores Papo lib. 3. Placitorum, tit. de infirmis resign. 2. art. 2. Imbertus in Enchiridio, verb. *Regula Cancell. de 20. dieb.* Duarenus lib. 8. de Benef. cap. 2. §. 5. Chopinus de sacra Politia, lib. 1. tit. 6. num. 3. Charondas lib. 1. Responsorum, cap. 19. & lib. 1. Pandect. cap. 10. Peleus lib. 2. action. forens. cap. 10. Louetus lit. 1. cap. 5. Ratio differentiæ hac in re inter Papam & Ordinarios hæc est, quia plus est suspicionis fraudis coram Papa in remotis agente, nec locorum Clericos cognoscente, quàm coram Ordinariis exactiorem notitiam habentibus & rerum & Beneficiorum & Clericorum suæ Diocesis. Quæ eadem causa est, cur non sit necessaria in Ordinariorum collationibus expressio ceterorum, quæ provifus possidet, Beneficiorum; quæ tamen omiffio collationem quæ à Papa fit, invalidaret.

IX. Eadem regula nihil obest resignationibus à Rege Galliæ admiffis, quando contulit jure Regaliæ. Charondas lib. 1. Pandect. cap. 1. Louetus lit. R, cap. 47.

X. Eidem regulæ non est locus in morte civili, seu capitis diminutione resignantis. Rebuffus ad hanc regul. glos. 11.

XI. Observanda sunt verba Regulæ, *De ipsa infirmitate decesserit.* Si enim in infirmitate resignans novo occurrente casu decesserit, sive gladio, sive veneno, sive laqueo, sive ruina aliqua post paucos dies, ipsa valebit resignatio, quia de ipsa infirmitate non decessit. Itaque duo probanda sunt ad excludendum resignationis effectum: primò defunctum resignasse tempore infirmitatis suæ: secundò de eadem infirmitate interiisse intra viginti dies ab admiffa resignatione diem. Rebuffus dicit, glos. 11.

XII. Quid verò juris, si resignatum fuerit dum febris intermittebat, ut fit in tertianis & quartanis febribus? Ritè declarat Rebuffus glos. 2. num. 6. ad hanc regul. hanc procedere regulam, sive febris continua sit, sive intermittens ac interpolata: licet enim accessus intermiserit, perdurat tamen habitus morbi quandiu morbificus humor persistit intra corpus. Neque.

Neque refert si tempore resignationis fuerit levis febricula, quæ non existimabatur periculosa; sufficit enim si secundum verba regulæ decedat ex ea infirmitate: & plerumque mors sequitur ex infirmitate quæ principio levis, deinde ingravescit. Ibid. num. 5.


XIII. Summus Pontifex potest huic regulæ derogare, idque facere solet ad resignatarii petitionem, ita ut in Gallia quoque Regno istiusmodi admittatur ob Papæ derogationem resignatio. Rebuffus ibid. glos. 2. à num. 24. ad 27. Charondas lib. 1. Pandect. cap. 12. Etiam in mensibus Graduatorum nominatorum. Rebuffus d. glos. 2. à num. 27. ad fin. Charondas lib. 1. Respons. cap. 20. & lib. 1. Pandect. cap. 12. Papo d. tit. de infirm. resignant. 2. art. 5. Chopinus lib. 1. de sacra Politia, cap. 5. num. 5. Quin etiam valet derogatio ista in præjudicium Indultariorum Curia Parisiensis, ut ex multis supremis Judiciis affirmat Bengæus de canonicis institutionum conditionib. §. 10. num. 14. Omnis enim res per quas causas constituitur, per easdem dissolvitur, cap. 1. de regul. jur. Eiusque est dissolvere cuius est & ligare, l. Si puella, D. de sponsalib. Et nihil tam naturale, quam eodem genere quodcumque dissolvere, quo colligatum est, l. Nihil tam naturale, D. de regul. jur. Igitur cum Papa jus condiderit, potest etiam circa idem jus ex æquitate dispensare.

XIV. Circa hoc tamen sciendum est, non esse locum derogationi aut dispensationi regulæ de viginti diebus in præjudicium ejus Ordinarii qui Cardinalitiam dignitatem præeminet. Docent enim Louetus litera C, cap. 15. Bengæus de canonicis institutionum conditionibus, §. 10. num. 17. & 18. & tit. de variis mod. acquir. benef. §. 10. num. 22. & 23. initum fuisse inter Paulum Papam IV. & Cardinales, ut in eorum ordinaria collationis præjudicium neque Papa, neque Legatus dispensare valeant circa regulam istam. Idemque affirmant indultum istud ac privilegium Cardinalium admissum fuisse & insinuat in Magno Regio Consilio. Etenim immunitate digni sunt quos lateris Supremi Principis comitatus exornat, l. unica, Cod. de Præpos. labor.



CAPUT XX.

*Prosequutio caterarum Regularum Cancellaria
in Gallia vigentium.*

I.  M habet pariter in Regno regula de publicandis resignationibus, sic statuens: Item Dominus sic statuit & ordinavit, quod quacumque Beneficia Ecclesiastica, sive in Romana Curia, sive extra eam resignata (nisi de illis facta resignationes, si in eadem Curia, intra

B b 3 sex

sex menses à data supplicationis, & non præstiti consensus computandos, si verò extra dictam Curiam facta sint, intra mensem, ex tunc ubi talia Beneficia consistunt, publicata fuerint, vel possessio illorum ab eis quos id contingit, petita fuerit) si resignantes ita postmodum in eorundem Beneficiorum resignatorum possessione decesserint, non per resignationem, sed per obitum hujusmodi vacare censentur. Collationes quoque, & alia quævis dispositiones illis tanquam per resignationem vacantibus factæ, & inde sequuta nullius sint roboris, vel momenti. Observa cum Flaminio lib. 2. de resignationib. quæst. 2. num. 12. & cum Azorio part. 2. lib. 7. cap. 24. quæst. 4. verba ista, *A data supplicationis, & non præstiti consensus computandos*, fuisse huic regulæ ex postfacto addita per auctoritatem Pii IV. & Pii V. & Gregorii XIII. Antea enim concertabatur inter Doctores, undenam esset istud semestre inchoandum: de qua re apud Gomeium longissima extat disputatio, antequam verba illa essent huic regulæ addita.

II. Ratio regulæ istius est, ut evitetur multiplex collatio, quæ fieri posset ex ignoracione præcedentis, de qua agitur, resignationis & collationis. Præterea ut populo innotescat quis sit ejus Pastor, aut quis Ecclesie Minister, ad quem ubi fuerit, recurrat. Est enim utrimque mutua cognitionis officium, ut pastor suas oves agnoscat, juxta illud Proverb. 27. *Diligenter agnosce vultum pecoris tui: & oves pastorem simul agnoscant & sequantur*, dicente Domino nostro, Joan. 10. *Ego sum pastor bonus, & cognosco oves meas, & cognoscunt me meæ, & sequuntur me*. Alia item regulæ hujus causa est, ut evitentur illæ resignationes, quæ idè occultè fiebant, ut resignanti facilis esset ad dimissum Beneficium regressus. Huic dispositioni conformantur subsequuntur Constitutiones Pii IV. & Pii V. in Gallia receptæ contra simoniacam confidentiam.

III. In Gallia tempus sex mensium, aut unius mensis hac regula præstitum computatur à die admittæ resignationis, & non à die præstiti à rebus ante consensus. Papo lib. 3. tit. *Ad regul. de publicand. resign.* 1. art. 4. Charondas lib. 1. Pandect. cap. 12. Potest verò id tempus à Papa prorogari ad partis petitionem, etiam in Gallis. Boërius decis. 312. Papo dict. tit. art. 5.

IV. Quia verò dum Rex Franciæ confert per Regaliam, confert tanquam Ordinarius, provisiones ab eo concessæ publicandæ sunt intra mensem, ut sapissimè judicatum fuit à Magno Consilio Regio. Charondas lib. 1. Pandect. cap. 12. Resignatio quoque à Legato admittæ publicanda similiter est intra mensem. Charondas lib. 1. responsorum, cap. 18.

V. Liqueat ex illis regulæ verbis, *ubi talia Beneficia consistunt*, fieri debere publicationem in loco Beneficii, sive fiat in ipsa Ecclesia, præsentem populo, sive in foro, sive in publico auditorio, ad præsentiam sive Clericorum, sive Magistratorum, sive Auditorum, quos vulgus Matricularios & *Marguilliers* appellat, sive multorum de plebe: has enim singulas publicandi

blicandi formas admittit & probat Rebuffus p. 3. tit. *Ad regul. de public. resignat.* glos. 10. Et si sit impedimentum ex peste, bello, aut ex ipsius opposita Partis factione, vel ex justo metu, fieri potest publicatio in vicinia, juxta cap. *Quosdam*, & cap. *Quanto*, de presumption. Rebuffus d. loco, num. 9. Ritus & forma publicationis hæc est communior & certior, si Notarius convenienti & publico in loco, præsertim (si fieri commode potest) in Ecclesia, spectante & audiente multitudine, voce elata dicat, resignationem talis Beneficii à tali factam fuisse admittam à Papa, vel Legato, vel Ordinario, qui talem de hoc Beneficio providit; idque scripto constare, quod habet ad manum. Deinde publicationis istius actum expedit sua manu & duorum saltem testium subscriptione communitum.

VI. Non est huic regulæ locus si resignatarius suam purgaverit moram, ipsamque resignationem publicaverit etiam post semestre, vivente adhuc tamen resignante. Pape loco cit. art. 6. Charondas lib. 1. res. fororum, cap. 21. Bengens de canonicis institutionum conditionibus, §. 10. num. 23. & 24. Ad hoc verò requiritur ut ista publicatio diem mortis resignantis præcesserit. Licet enim ante obitum facta sit publicatio moræ purgativa, si tamen eodem die facta sit primùm publicatio, & mox insequuta fuerit mors ipsa resignantis, nihil proderit talis publicatio, & invalida censebitur, juxta Charondam loco cit. & Rebuffum ad tit. de publicand. resignat. glos. 13. num. 10. & 11. Quod si aliter quàm per resignationem Beneficium vacet, non est necessaria ista publicationis solemnitas, quam jus requirit in solis resignationibus ut necessariam.

VII. Quæritur utrum huic regulæ locus sit, non solum in simplici resignatione, verum etiam in Beneficiorum permutatione? Probabilior est apud Doctores Gomeſii responsio affirmativa, & apud Doctores Gallicanos receptior: cui evidens ratio suffragatur, quia permutatio nihil est aliud, quàm geminata & reciproca Beneficiorum resignatio. Quod autem in uno præscribitur, idem peræquè in pluribus statuendum, l. *Singularia*, D. si cæg. pet. Secundò, quia regulam istam patet idèd esse sancitam, ut occurratur fraudibus, quæ in resignationes clandestinas irrepunt, ne scilicet resignantes post admittam resignationem in Beneficium resignatum se denudè ingerant, & ne faciliùs minime ad se pertinentis Beneficii munia & fructus sibi vendicent, nève Prælati in dignoscendis subditarum Ecclesiarum Ministris decipiantur ac errent; & ne circumveniantur plebes in recipiendis Sacramentis ac ministeriis Beneficio annexis. Fit etiam fraus habentibus Expectativas, dum expectato in quod jus habent Beneficio frustrantur, quod proprietarii obitu jam vacare potuit, dum intrusus illud occupat. At verò eadem, imò majora emergunt incommoda, utpote duplicata, in permutationibus clandestinis.

VIII. Quæritur utrum hæc eadem procedat regula in Beneficiis pariter commendatis?

commendatis? Approbamus Gomeſii reſponſionem quaſit. 4. diſtinguentis inter commendas ad tempus certum limitatas, & eas quaſ concessae ſunt ad vitam, ſeu perpetuas. Primae ſunt ad Eccleſiae utilitatem inſtitutae: ſecundae non ad Eccleſiae, ſed Commendatarii emolumentum. Iſtae titulis aequiparantur, & publicandae ſunt; non verò primae.

IX. Praeterea quaeritur, an eadem regula vim habeat in Conſiſtorialibus Beneficiis? Placet negativa Gomeſii reſponſio quaſit. 5. Cum enim iſtius generis Beneficia in Conſiſtorio ad praesentiam Principis renuntiantur, ſatis ea ratione publicantur, argumento legis *Omnium*, C. de teſtam. *Omnium*, inquit, *teſtamentorum ſolemnitatem ſuperare videtur, quod inſertum merò fide precibus, inter tot nobiles, probatasque perſonas, etiam conſcientiam Principis tenet.*

X. Quanvis autem regulae contextus loquatur diſjunctivè, ſi reſignationes publicatae fuerint, vel poſſeſſio ab eis quos id contingit, petita fuerit; quae cauſa eſt ut Gomeſius comment. in hanc regul. affirmet alterum ex his duobus ſufficere: Praxis tamen Gallicana hoc exigit, ut utrumque ſejuñctim fiat, ſcilicet publicatio reſignationis, & ſumptio poſſeſſionis, ut admonent Rebuffus in ſuis ad hanc regulam commentariis, & cum eo Bengeus loco citato. Et utique in Regno Galliae tempus praefixum ad ſumendam poſſeſſionem non eſt unius menſis aut ſemeſtris, ſicut ad publicandam reſignationem, ſed triennii. Publicatio itaque fit per publicam literarum exhibitionem, atque inſinuationem apud acta publica, & petitionem poſſeſſionis Beneficii, ut ibidem Rebuffus obſervat. Sed ſi ad publicandum aut exhibendum in loco ubi ſitum eſt Beneficium, non ſit tutus acceſſus, aut apud Ordinarium, aut ſi Capitulum nolit admittere, ſufficiet eo caſu publicatio & proteſtatio facta apud Notarium cum duobus aut tribus teſtibus, quae in tabulas publicas redigatur. Ita ſtatuit Gallicum Edictum de parvis Datis, art. 13. juxta Rebuffum ad hanc regul. gloſ. 9. alioſque Gallicanos Jurifconſultos.

XI. Agendum nunc de Regula Cancellariae de annali poſſeſſore, ſic ſtatuyente: *Item ſanctus Dominus noſter, ut improbi motus lites exquirentium reprimantur, voluit & ordinavit, quod quicumque Beneficium Eccleſiaſticum tunc per annum immediate praecedentem pacifice poſſeſſum, & quod certo modo vacare praetendit, deinceps impetraverit, nomen, gradum & nobilitatem poſſeſſoris ejuſdem, & quot annis ipſe poſſedit, & ſpecificam & determinatam, ex qua clare conſtare poſſit quod nullum ipſi poſſeſſori in dicto Beneficio jus competat, cauſam in hujusmodi impetratione exprimere, & intra ſex menſes ipſum poſſeſſorem in judicium evocari facere, cauſamque ex tunc deſuper infra annum uſque ad ſententiam definitivam incluſivè proſequi debeat & teneatur. Alioquin impetratio praedicta, & quaecumque inde ſequuta nullius extent firmitatis, & idem impetrans de damnis & intereſſe poſſeſſorem praedictum propterea contingentibus ei ſatisfacere ſit adſtrictus.* Regula iſta nullum annali poſſeſſori jus attribuit, vel titulum, nec eundem

eundem à peccato (si quod contraxit) eximit : sed ei tantum suppeditat exceptionem adversus actorem , atque repulsam , si quæ hîc mandantur non servaverit . In quo differt à regula de pacifica triennali possessione , quæ novum jus ac titulum impertit , ne quis deinceps litibus divexari possit , cum annalis possessor hoc unum habeat , ut non ei lis intentetur , nisi servatis ab actore præfatis conditionibus .

XII. Regula hæc procedit in collationibus à Papa vel à Legato factis , non autem ab Ordinariis , ut docet Gomefius in hanc regulam , q. 9. & Azorius p. 2. lib. 7. cap. 34. quæst. 5. Huic quoque regulæ Pa & Legatus derogare possunt per has clausulas : Quod verus vacatio is modus pro expresso habeatur : aut , Quod major expressio non obstantè dicta regula suppleatur .

XIII. Quod verò eadem Regula statuit , ut intra sex menses possessor in jus vocetur , & ut intra annum lis terminetur usque ad sententiam definitivam , diversa his est Gallicana Praxi ex Caroli IX. Edicto Aurelianiensi , art. 4. & Henrici III. Edicto Blefensi , art. 46. itemque Melodunensi , art. 17. Scilicet ut contra devolutarium lis intentetur intra tres ab adepta possessione menses , electo prius ab actore domicilio , & data , consignatave pro litis sumptibus satisfactione : atque ut intra biennium lis instruat , alioquin repellatur actor . Qui tamen excusabitur si legitimum inter- venerit in prosequenda lite impedimentum , aut si reus non petierit satisfdari ante litis contestationem . Hæc enim exceptio , sicut reliquæ dilato- riæ aut declinatoriæ , in ipso litis limine apponenda est , l. final. C. de exceptionib.

XIV. Exploranda nunc est Regula de triennali possessore : *Voluit & ordinavit Dominus noster , ut si quis quæcumque Beneficia Ecclesiastica , qualia- cumque sint , absque simoniacò ingressu , ex Apostolica vel Ordinaria collatione per triennium pacificè possederit , si se non intruserit , super hujusmodi Benefi- ciis molestari nequeat , necnon impetrationes de Beneficiis sic possessis factas , irritas & inanes censerit decrevit .*

XV. Hæc ipsa Juris dispositio habetur pariter in Concordatis inîtis inter Leonem Papam X. & Franciscum I. Galliæ Regem , tit. de pacificis possessoribus . Cæterum non juvatur hoc privilegio Regularis Clericus qui seculare Beneficium triennio pacificè possederit . Illa namque triennii possessio non potest statum & incompatibilitatem mut. e Beneficii , ut multis & solennioribus Senatusconsultis judicatum referunt Montolonus cap. 122. Brodeus ad Louetum lit. B. cap. 12. Pastor lib. 3. tit. ult. num. 25. Despeisseus tit. 11. sect. 3. num. 6. Idemque statuendum de Seculari , qui triennio regulare Beneficium possederit in titulum , nisi status Beneficii fuerit annorum quadraginta præscriptione mutatus , cap. *Cum de Beneficio* , de Præbend. in 6.

XVI. Olim jus Regaliæ ab hac Regula liberum erat ; reservatio enim

C c vacantis

vacantis in Regalia Beneficii durabat annos triginta, secundum Constitutionem Ludovici XII. atque ita docent veteres Francici Jurisconsulti Rebuffus, Papo, & alii. Verum successit Edictum Henrici IV. anni 1606. quo Regula ista ad Regaliam extenditur, & declaratur provisum quemque post triennii possessionem tutum esse contra Regalistas. Vide Brodeum ad Louetum lit. V, num. 2.

XVII. Ad triennium istud pacificæ possessionis non potest conjungi tempus præcessoris cum tempore successoris; ut si hic biennio possedit, non potest conse. ad suum biennium annum possessionis præcessoris sui: quanvis in possessionibus rerum profanarum conjungi soleant ex juris dispositione tempora duorum successivè possidentium, ad complendam præscriptionem. Ratio hujus differentia in promptu est, quia in materia profana possessor jus habet à suo authore, idèque utitur accessione temporis ejus, l. Pomponius, §. Cum quid, D. de acquir. possess. At in Beneficiis possessor jus habet non à præcessore, sed à Collatore; ideoque amborum tempora jungi non possunt. Ita docent Glossa Pragmatica Sanctionis, tit. de pacif. possess. Gomezus in regulam istam, quæst. 13. Mainardus lib. 1. cap. 64. Rebuffus tract. de pacif. possess. num. 321.

XVIII. Qui simoniacè Beneficium accepit, non juvatur istâ Regulâ, cum expressè talem excludat. Imò verò qui per alterius simoniam, quam ignorabat, provisus fuit, statim atque resciverit, tenetur sic acquisito Beneficio se abdicare, can. *Præsentium*, 1. quæst. 5. cap. *Ex insinuatione*, de simon. Attamen Gomezus ad hanc regul. quæst. 12. & Rebuffus tract. de pacif. possess. num. 243. Accius decis. 225. affirmant simoniacè provisum sine sua notitia vel culpa gaudere privilegio triennalis possessionis, cum habeat cum bona fide titulum coloratum. Cæterum cum ipsa regula generaliter & indistinctè excludat simoniacum ingressum, crediderim potius non posse juvari nisi decennii possessione, secundum Mainardum lib. 1. cap. 58. Charondam in suis observat. ad regul. Cancel. ad verbum *Beneficium*, & lib. 1. responsorum, cap. 44.

XIX. Si quis ob justum impedimentum, cum vellet, non potuerit istam interrompere triennem possessionem, quale est tempus hostilitatis, captivitatis, epidemiae, diutini morbi; ei tamen subvenitur ut triennem possessionem possit iudicio convenire, dummodo triennio illo vel semel de suo jure & intentione protestatus sit eo modo quo potuit, sive coram ipsa Parte, sive coram Judice loci per Notarium cum duobus testibus: quæ protestatio ipsi Parti intimanda est, nisi publica impediatur calamitas; alioqui enim non interromperetur triennalis præscriptio, cap. *Causam*, de elect. & l. *Cum quidam*, D. de appellation. His suffragantur Bononiensia Concordata, tit. de pacif. possess.

XX. Si quis à me permutatum Beneficium evincat, potero alterum à me per commutatam rem abdicatum Beneficium, etiam à triennali pacifico

cifico possessore repetere, juxta cap. *Si Beneficia*, 20. de præbend. in 6. Duarenus de Benef. lib. 7. cap. 12.

XXI. Sine titulo saltem colorato præscriptio ista triennis jus nullum tribuere valet, juxta concordata Bononiensia, tit. de pacif. possess. His consonat cap. 1. de regul. jur. in 6. Beneficium Ecclesiasticum non potest licitè sine canonica institutione obtineri. Possessio itaque illa triennis non attribuit titulum, sed illum roborat, qui alioquin invalidus esset. Titulus verò coloratus est, qui speciem habet justiciæ & canonici tituli; sed tamen per se inutilis est, & inefficax ad juris attributionem, propter aliquod juris impedimentum. Et sine titulo vel justo & canonico, vel saltem colorato, triennis possessor habetur pro intruso. Papo lib. 8. placitorum, tit. 9. Antonius Faber in suo Codice, lib. 1. tit. 2. definit. 5. Ut discernatur titulus coloratus à non colorato, qui sanè ad hujus Regulæ beneficium non pertineret, Gomesius ad hanc regulam, quæst. 27. sapienter asserit, possessionem illam titulo niti colorato, ubicumque defectus non inest in conferente; sed si conferens caret potestate, nullum fore titulum coloratum, sed prorsus irritum ac inanem, ut si conferens sit laicus, aut si sit Episcopus alienus, tunc ab illo provisus censetur intrusus, neque poterit istius Regulæ præsidio juvari. Idem docet Rebuffus tract. de pacif. possess. num. 45. * In summa Rebuffus tract. de pacif. possessor. num. 206. & seqq. docet, spurium, laicum, fœminam, digamum, conjugio alligatum, hæreticum, corpore vitiatum, Clericum sæc. larem regulari, aut regularem sæculari Beneficio provisum, homicidam, excommunicatum, aliosque irregulares non posse juvari regulis sive annalis, sive triennis possessionis pacificæ. Non enim jura Ecclesiastica illos intendunt favoribus prosequi, & à gravioribus irregularitatibus eximere, quas eadem jura iis qui graviorum delictorum rei sunt inflixere. Hæc eadem docet pariter Azorius part. 2. lib. 7. cap. 35. Et prorsus indignum ac perniciosum esset, si Prælati cum gravissimo Ecclesiarum scandalo tolerare cogerentur quoscumque procaces, irregulares, scandalosos & incorrigibiles, in ipsis etiam sacratoribus Sanctæ Ecclesiæ ministeriis.]

XXII. Alia receptissima, utpote manifestam referens æquitatem & justitiam, Regula Cancellariæ est de non tollendo jure alteri quæsito: quæ sancitur, ut si Papa aliquam Præbendam à se alicui adhuc viventis collatam alteri de novo conferat, nec ille cui priori contulit, fuerit juridicè depositus, secunda ista collatio prorsus irrita sit. Et conformatur juri communi, quo rescriptum secundum ab aliquo in uno eodemque negotio obtentum in præjudicium antecedentis rescripti ab altero obtenti, invalidum sit; & præsumatur indubitanter subreptitium, cap. *Ceterum*, de rescript. cap. *Cum olim*, de sent. & re judic.

XXIII. His subjungimus in Gallia quoque receptam Cancellariæ Regulam de verosimili notitia, quæ collationem vacantis per obitum Beneficii

neficii reddit invalidam, si inter obitum & collationem non interfuerit sufficiens intervallum ad habendam obitus notitiam, eamque collatori notificandam. Et procedit hæc Regula in quibuscumque collationibus, tum Apostolicis, tum Ordinariorum. Deselva 3. p. quæst. 46. Renatus Chopinus libro de sacra Politia, cap. 3. num. 16. & Philippus Decius consil. 398. Alioqui nulla est collatio: & valet Regula ista non solum in vacatione per obitum, sed etiam in vacatione per sententiam depositionis aut privationis: à qua sententia, quemadmodum & à momento obitus, decurrere incipit tempus verosimilis notitiæ, habita ratione locorum distantia.

XXIV. Ne fraus ulla huic Regulæ fiat, cautum fuit Edicto Francisci I. anno 1539. ut in Ecclesiæ tabulario conscribatur dies sepulturæ defuncti Beneficiarii, cui subscribat Parochus, aliufve Superior Ecclesiæ, necnon Publicus Notarius, art. 50. & 51. Jubet insuper art. 54. domesticis defuncti Beneficiarii sub pœna corpori infligenda, ut Ecclesiæ sincerè significant diem ac horam obitus. Ac ipsi corporis recelatoribus laicis pœnam mortis indicit. Clericos autem cadaveris recelatores, aut recelationis cooperatores & conscios excludit penitus à quibuscumque defuncti Beneficiis, mandatque Judicibus ut multas pecuniarias eisdem infligant, art. 55.



* C A P U T XXI.

De jure Præventionis: de partibus Supplicationis beneficiæ, & de Signaturis.

I. **P**RESTATE gaudet Summus Pontifex in collatione Beneficiorum Ecclesiasticorum quoslibet Ordinarios præveniendi; aded ut si ambiguum sit quænam fuerit prior provisio, an Papæ, an Ordinarii circa idem pluribus collatum Beneficium, præferendus quidem ille sit qui prior inivit possessionem. Sed si hoc quoque ipsum sit ambiguum, aut si neuter possessionem adivit, præferendus ille sit, qui à Majori, hoc est Apostolica Sede provisionem habuit, cap. *Si à Sede Apostolica*, de præbend. in 6. Jus istud omne aboleverat Concilium Basileense, & in eo procusa Sanctio Pragmatica, tit. de collation. §. *Item circa*, eo quod omnia referret ad electionem, & non ad unius arbitrium. Sed per Concordatum jus istud præventionis revixit, tit. de Mandatis Apostolicis, §. *Declarantes*.

II. Hoc idem jus Ordinarios præveniendi competit pariter Legatis Apostolicis in provinciis sibi commissis, d. cap. *Si à Sede Apostolica*. Sed non

non extenditur ad Nuncios Apostolicos, nisi mittantur cum potestate Legatorum à latere. Gloss. in d. cap. *Si à Sede Apostolica*.

III. Cessat præventio si coram Ordinario res inchoata sit, quanvis nondum integra; ut si coram eo Beneficium resignatum sit, necdum collatum; aut si ab eo collatum sit Beneficium vacans, sed is cui collatum est, siue per absentiam, siue alia ex causa, nondum acceptaverit, cap. *Si tibi absenti*, de præbend. in 6. Debet verò intra tempus ab Ordinario præfixum acceptare, sed non ultra semestre, alioqui jus devolvitur ad Superiorem. Et si ab Ordinario intra sex menses collatum fuerit incapaci Beneficium, vel contra formas juris, non recurritur ad Papam, neque ad Legatum, jure præventionis, sed ad proximum Superiorem jure devoluto.

IV. Patronus Laicus intra tempus præsentandi præveniri non potest, sed potest à Papa præveniri Ecclesiasticus Patronus cum derogatione pro illa vice. Tempus præfixum Patrono Laico ad præsentandum est quadrimestre, Ecclesiastico autem semestre, cap. unico de jure patron. in 6. Sed si Patronus intra debitum tempus Ordinario præsentaverit, non admittitur ulla præventio, quanvis sit jus patronatus Ecclesiasticum, cui potest Papa vel Legatus derogare. Summa ratio est, quia præventio non procedit quando jam res fuit inchoata, quanvis nondum integra, seu ad perfectum adducta. Louetus lit. P, num. 15.

V. Graduati etiam postquam insinuaverint, nondum tamen Beneficium vacans petierint ac requisierint, possunt à Papa præveniri. Rebuffus in Concordatum, tit. de Mandatis Apostolicis, §. *Statuimus*, Brodeus ad Louetum lit. P, num. 43. Sed postquam Graduatus requisiverit coram Ordinario, nullus est præventioni locus, ut sanxit Ludovicus XII. Edicto anni 1498. artic. 14. Quia scilicet res alibi jam inchoata fuit. Requisitio porrò fieri debet à Graduato intra semestre, quo elapso non amplius audietur. Rebuffus tract. Nominatum, quæst. 17. num. 3.

VI. Indultarii eodem jure potiuntur quo Graduati; à summo enim Pontifice præveniri possunt etiam post insinuationem indulti sui, sed nullatenus postquam Beneficium vacans requisierint. Debet verò Indultarius Beneficium vacans requirere intra mensem à die notitiæ vacationis, ut præventionem excludat. Clement. unica, de concess. præbend. quo loco Gloss. in verb. *Intra mensem*, dicit terminum mensis invaluisse de stylo, & more Curie. Papo lib. 2. placitorum, tit. 6. Conceditur tamen semestre ad conferendum.

VII. Ordinarii collatores, si Cardinalitia dignitate præfulgeant, non possunt à Papa vel Legato præveniri, juxta Indultum eis privilegium à Paulo IV. quod fuit in Magno Regio Consilio Lutetie publicatum & receptum, ut scribit Louetus lit. C, num. 15. Chopinus de sacra Politia, lib. 2. cap. 6. num. 1. Hujus Indulti verba latè se extendunt. *Non possunt, inquit, Sancta Romana Ecclesia Cardinales præveniri in Beneficiis ad collationem*

eorum conjunctim vel divisim, nominationem, electionem, presentationem, institutionem, & aliam quamcunque dispositionem pertinentibus. Ex his itaque inferitur, quod à præventionem servatur jus patronatus etiam Ecclesiasticum, ubicumque Cardinalis potest instituere. Item quod Capitulis & Monasteriis quibuscumque servatur immune à præventionem jus eligendi & conferendi, quoties idem cum eis conjunctim jus competit Cardinali. Atque in his magis dignum trahit ad se minus dignum, suoque roborat & exornat privilegio, cap. *Quod in dubiis*, de consecr. Eccles. & l. *Que religiosi*, D. de rei vindicat. & l. *Queritur*, D. de stat. hom. * Istud verò Eminentissimorum Cardinalium privilegium, ut in collatione Beneficiorum præveniri non possint, hoc ipso quo hæc scribo anno 1684. judicio Amplissimi Regii Consilii confirmatum fuit, vacante per Curionis obitum Pelissana Parochia. Abbas Montis Majoris ad eam Ecclesiam tanquam Patronus primum nominavit Moriesum Sacerdotem, deinde Jacobum Michaëlem. Moriesus nominationis suæ schedulam Vicelegato Avenionensi obtulit, Michaël verò Aquiseptiensis Archiepiscopo Hieronymo Grimaldo Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali, qui ipsum conjunctim cum Metropolitanò instituit; Moriesus autem à Vicelegato Literas retulit collationis ejusdem Parochiæ. Inde inter ambos lite mota coram Supremo Regis Consilio, adjudicata est Michaëli Parochia Pelissana, Moriesus autem in omnes expensas damnatus die 25. Septembris, anno 1684. hac addita ratione, quia intra sex annos vacans Beneficium, adversus indultum Cardinalibus privilegium præveniri non potest, etiam coram Papa, sive Cardinalis solus conferat, sive cum Capitulo conjunctim; minus enim dignum à digniore secum conjuncto trahitur & elevatur.]

VIII. Non admittitur præventio tam Papæ quàm inferiorum collatorum, ubi statuto, consuetudine, vel privilegio jus conferendi divisum est inter Episcopum, vel Abbatem & Capitulum, vel inter Papam & Episcopum aut Abbatem; & alternatim, aut per turnum, ut dicunt, seu per vices fit collatio, ut est usus in Britannia Armorica provincia Gallicana, ubi Papa collatione Beneficiorum potitur solus, quæ mensibus octo vacare contingit; Ordinarii verò conferunt reliquis quatuor anni ejusdem mensibus, ut ait Chopinus lib. 1. de sacra Politia, tit. 7. num. 21. Similes quædam mensium anni partitiones circa collationes Beneficiorum aliis quibusdam in locis vigent inter Papam & Ordinarios, ita ut sese invicem prævenire non possint. Gonzalez ad regul. de alternativa, glos. 10. n. 30. Mohedanus decis. 72. de Præbendis.

* IX. Plerumque fit, ut Clericus dum extrema conflictatur ægritudine successorem sibi quærat, beneficium in illius favorem resignando apud Papam vel Legatum, & deinde moriatur necdum expletis viginti à renunciatione diebus: interim verò provideat Ordinarius de eodem Beneficio per obitum; sed non multò post perlatis à suprema Sede provisionibus

in

in favorem resignatarii, cum dispensatione à regula viginti dierum, nascatur litigium inter resignatarium & provifum per obitum, utri ex duobus fit Beneficium adjudicandum? Joannes quidem Papo lib. 2. Placitorum, tit. 8. art. 15. Pastor lib. 2. tit. 17. num. 4. Rebuffus in Praxi Benefic. ad regul. de infirm. resignant. gloss. 14. num. 6. & 7. idemque tract. de pacific. possessor. num. 391. unanimes adstruunt præferendum esse resignatarium à Papa, Legatove provifum, ob superioris Sedis prærogativam, conformiter ad cap. *Si à Sede*, de præbend. in 6. His aditipulantur pleraque Senatufconfulta; Rebuffus enim profert in tract. de pacific. possessor. Parisienfe anni 1542. in vigilia Sancti Matthæi Apostoli, quanvis in illa causa provifum per obitum ab Epifcopo constaret eam retuliffe provisionem horâ sextâ matutinâ, eodemque die (sed nihil de hora constaret) resignatarius fuiffet à Summo Pontifice promotus. Papo quoque tribus aliis nititur Senatufconsultis, uno Tolofanæ Curia, duobusque aliis Curia Burdigalensis, uno quidem Maii 23. anno 1514. altero Februarii 1. anno 1532. Sanè ubicumque certò non constat admiffam esse à Summo Pontifice resignationem mortuo resignante, jura præfumunt fuiffe ab eodem admiffam, illo adhuc vivente.

X. Cæterum ubi liquidò constaret de opposito, nulla effet habenda ratio Pontificia provisionis, quantumvis in ejus Literis appofita foret clausula, *Vel aliter quocumque modo vacet Beneficium*; sed prævaleret provifio per obitum ab Ordinario facta, ut rectè docet Rebuffus in Praxi, loco cit. num. 13. hac ratione, quia tempore resignationis Beneficium non vacabat per obitum: ergo non videtur, neque præsumitur, Papam per obitum contuliffè, qui nondum contigerat; aut intendiffè Beneficium conferre vacaturum, sed tantummodò vacans, juxta cap. 1. de concess. præbend. quo viventis Beneficium conferri prohibetur: totaque illius clausulæ vis ad eum dumtaxat extenderetur effectum, quo prætenderetur incapacitas ad id Beneficium in persona resignantis ob contractam excommunicationem, irregularitatem, aliudve impedimentum.]

XI. Sive jure præfato præventionis, sive jure devoluti, sive ex necessitate dispensandi recurratur ad Papam aut Legatum in causis beneficiariis, contextenda primùm est in scriptis supplicatio, in qua desideratur Collatoris aut dispensatoris signatura. Primùm quidem in supplicatione fit rei, de qua Collator certificandus est, narratio; proponitur deinde supplicis desiderium, & subjiciuntur demùm clausulæ ad effectum gratiæ quæ postulatur necessariæ. Collatori ante omnia notificatur supplicis persona nomine proprio & cognomine, loco originis, dicecesisque, & Clericaturæ ac Ordinum, si quos habet, designata. Hoc tamen ultimum de Ordinibus non est semper necessarium, ut neque Nobilitatis, aut Gradus Doctoratus, alteriusve licentiæ expressio, nisi fortè petitum Beneficium hujusmodi qualitates requirat.

XII. Hoc

XII. Hoc tamen in genere præmonendum duco, quod error nominis, aut falsa demonstratio, quæ contingere faciliè in supplicationibus possunt, non efficiunt, modò satis de re, vel persona constet, cap. *Significante*, de rescript. & l. *Falsa demonstratio*, D. de condition. & demonstr. l. *Patronus*, §. 2. D. de legat. 3. & l. *In venditionibus*, D. de contrahend. empt.

XIII. Si petitur rescriptum in forma gratiosa, non verò in forma pauperum, debent necessariò in supplicatione sigillatim exprimi cætera Beneficia, quibus supplicans est provifus; dignitasque, & valor eorum, quantulacunque sint, cap. *Ad aures*, de rescript. cap. *Si motu proprio*, de præbend. in 6. Glossa Pragmaticæ Sanctionis, tit. de collation. §. *Item quod universitas*, Rebuffus in Praxi, tit. *Forma novæ provisionis*, Louetus lit. B, num. 3. sive orator de Beneficiis illis provifus sit in titulum, sive in perpetuam commendam; non est enim necesse exprimere commendam ad tempus, cap. *Postulasti*, de rescript. Insuper necesse est ut exprimat orator Beneficia sibi collata, quorum provisionem nondum acceptavit, nisi cum probabilis ignorantia facti excuset. Debet pariter Beneficia quibus spoliatus fuit, exprimere, si spes ei affulget postliminii; sed non ea, quibus per Judicis sententiam depositus fuit, si sententiæ acquieverit. Felinus in cap. *In nostra*, de rescript. alioqui subsequens collatio impugnari poterit ut obreptitia.

XIV. Præstimoniam verò, si qua habet, non tenetur exprimere, neque pensiones Ecclesiasticas quas habet etiam ad vitam; hæc enim propriâ Beneficiorum appellatione minimè comprehenduntur. Rebuffus tract. de pacif. possess. num. 133. Nec etiam tenetur exprimere Nominations, Expectativas, aut Indulta, per quæ jus habet ad Beneficium acquirendum; hæc enim non attribuunt jus in re, sed solum ad rem, neque Beneficii appellatione censentur. Neque obstat, quod istorum expressione potest fieri difficilior Collator ad annuendum; non enim omnia quis tenetur exprimere quæ remoram aliquam possent ingerere, sed sola illa quorum reticentia invehit juris impedimentum.

XV. Sed si rescriptum, vel signatura petitur in forma pauperum, debent non solum exprimi sigillatim quæcumque aliquis habet Beneficia, sicut requiritur in forma gratiosa communi, sed præterea quæcumque pensiones, præstimoniam, Beneficia manualia, hoc est, quæ ad nutum Superioris adimi, & in alios transferri possunt: itemque Indulta, Nominations, præsentationes ad futura Beneficia. Præterea ipsum oratoris patrimonium exprimi necesse est; alioquin erit obreptitium rescriptum, utpote contra formam privilegii & Collatoris intentionem obtentum, cap. *In nostra*, & cap. *Postulasti*, de rescript.

XVI. Multis tamen casibus etiam in gratiosa concessione non exigitur Beneficiorum expressio, aut certè omiffa suppletur. Primò si collatio fiat

fiat à Papa motu proprio, ac sine prævia supplicatione, cap. *Si motu* 23. de præbend. in 6. & Clement. *Si Romanus*, eod. tit. Quæ enim Papa per se ac motu proprio largitur, arguunt ejus propensum & benevolum animum dispensandi super formis Juris, & ut concessum sponte à se Beneficium sit permanens, cap. *Decet*, de regul. jur. in 6. Verumtamen si per concessionem factam motu proprio Papæ concurrant duo simul incompatibilia Beneficia, non censetur voluisse in isto canonico impedimento dispensare. Neque etiam quando provifus est inhabilis, dispensari præsumitur ab inhabilitate per istiusmodi proprium motum. Ancharanus consil. 137. Decius in cap. *Ad aures*, de rescript. Rota decif. 112. in novif.

XVII. Secundò in collationibus Ordinariorum Prælatorum Papæ & Legato inferiorum non exigitur aliorum Beneficiorum expressio. Clement. unica, de offic. jud. ordin. Quia præsumunt Jura de Ordinariis, quod Clericos sibi subditos, & sibi subjectarum Ecclesiarum statum accuratè cognoscant. Id verò non præsumitur de Papa vel Legato, ob ipsorum ditricius amplitudinem.

XVIII. Tertiò si collatio fiat à Rege jure Regaliæ, non desideratur aliorum Beneficiorum expressio. Rex enim his regulis non adstringitur. Joan. Galli quæst. 170.

XIX. Quartò si Beneficium peratur ex causa permutationis, reticentia caterorum Beneficiorum nihil nocet impetranti. Joan. Galli ibid. Quia cum præcedenti Beneficio se abdicet, non augetur numerosiore quàm antea Beneficio apud Papam. Tutiùs tamen sibi consulat, si cætera recenseat Beneficia, ad præcavendum etiam cavillationes & injusta litigia.

XX. Si clausula apponatur in Signatura, quod obstantia oratori habeantur pro expressis, poterit omiffio ista suppleri in Bullis, modò jus non sit alteri quæsitum. Et ista clausula de stylo Curie in Signaturis apponi solet.

XXI. Sextò justa & probabilis ignorantia facti impetrantem excusat, ut si Beneficium tacuerit quod nondum acceptaverat, & sibi collatum ignorabat. Id exprimit cap. *Gratia*, de rescript. in 6. Juris autem ignorantia, & procuratoris culpa minimè excusant. Gloss. in cap. *Si motu proprio*, de præbend. in 6.

XXII. Septimò Beneficium alteri Beneficio unitum, ut est Præbenda Canonici unita. Expressio enim principali veniunt accessoria. Rota decif. 19. in antiquis. Rebuffus in Concord. tit. de collationib. §. 1. Deselva p. 3. quæst. 17.

XXIII. In supplicatione debent explicari qualitates vacantis quod petitur Beneficii, locus, diocesis, titulus, redditus annui, si Beneficium sit curatum, aut non, si Dignitas, si Personatus, si sit Ecclesiæ Cathedralis, cap. *Ad aures*, de rescript. cap. *Quavis*, de præbend. in 6. Erronea tamen annui valoris expressio nihil nocet, & juxta stylum Curie sufficit

D d expressio

expressio communis valoris. Idque præsertim obtinet in Gallia, ubi Regula de exprimendo valore creditur introducta ad taxandas annatas, quæ non recipiuntur in Gallie Regno, nisi quoad sola Beneficia Conscriptoria. Si dixerit orator esse Beneficium curatum, quod tamen est simplex, non obtabit hic error; quia Papa illud facilius contulisset ut simplex, cum contulerit ut curatum, Rota decis. 563. in antiquis.

XXIV. Quando Beneficium est jurispatronatus, id exprimi in supplicatione necesse est, sive sit jurispatronatus Ecclesiastici ac Clericalis, sive Laicalis. Ratioque est, quia juri laicali Papa non derogat, can. *Decernimus*, 16. quæst. 7. Juri verò Clericali non præsumitur velle derogare, nisi hoc fuerit in supplicatione expressum & postulatum, cap. *Dilectus*, de offic. Legat.

XXV. Mentio quoque facienda est obstantis consuetudinis, Statuti, Indulti, & si Beneficium sit electivum aut reservatum, sive generali, sive particulari reservatione. Rota decis. 257. in antiquis. Alioqui enim Papa non censetur his voluisse derogare, cap. *Cum in illis*, de præbend. & cap. *Cum in aliquibus*, de rescript. in 6. Item si Beneficium pertineat ad familiarem Papæ vel Cardinalis, id necesse est exprimi, quia Cardinalibus indultum est ut de Beneficiis familiarium suorum provideant. At Papa non censetur velle derogare reservationibus, indultis, aliisque privilegiis, nisi fuerit expressum.

XXVI. Si Beneficium datum sit in commendam, facienda est oratori qui petit de eo provideri, Commendæ mentio, sive illa sit ad tempus, sive ad vitam. Alioqui non censetur Collator velle commendam revocare, & Commendatario præjudicare. Deselva p. 3. quæst. 11. num. 14.

XXVII. Si petitum Beneficium sit regulare, & supplicator sit Secularis; aut ex adverso, si Regularis petat Beneficium seculare, hoc discrimen est necessarium in supplicatione exprimendum. Cum enim hæc ambo Canonibus prohibeantur, nunquam censetur Collator his voluisse derogare, nisi contrarium per disertam horum impedimentorum expressionem comprobetur. Idemque statuendum, si Regularis regulare quidem Beneficium, sed diversè à suo Ordinis ac instituti, sibi postulet conferri, cap. *Cum de beneficio* 5. & cap. *Cum singula* 32. §. *Prohibemus*, de præbend. in 6. Non enim confundenda sunt diversorum Ordinum aut Monasteriorum jura, & singuli Monachi suis Monasteriis sunt adscripti.

XXVIII. Ordinarii provident Ecclesiis nullâ supplicatione correctâ. Papa verò, vel Legato necesse est fieri in scriptis supplicationem. Ordinarii item provident expeditione Literarum, in quibus præmissis proprio nomine & dignitate, salutant nominatim Clericum provivum cum suis qualitatibus designatum: ejus bonos mores & habilitatem commendant, quibus meritis adducti Beneficium seu Ecclesiam expressione tituli & loci & modi quo vacat, designatam prænominato conferunt cum suis omnibus juribus

&

& pertinentiis. Quapropter omnibus & singulis personis Ecclesiasticis, necnon publicis Notariis & Tabellionibus mandant ut præfatum provifum facto accessu ad eandem Ecclesiam inducant in Beneficii possessionem, amoto quolibet injusto detentore. Denique clauduntur Literæ clausulâ istâ: *In quorum omnium & singulorum fidem presentes literas collationis & provisionis fieri, & per Secretarium nostrum infrascriptum subscribi & publicari fecimus ac mandavimus, nostrique sigilli magni jussimus appensione muniti. Datum Aquisgranis, die 6. Martii, anno 1650. presentibus testibus Joanne Luro Presbytero, & Petro Ruino mercatore, vocatis testibus ad premissa. Ludovicus Bretellus Archiepiscopus Aquensis. De mandato Illustrissimi Domini Archiepiscopi: Jacobus Faber Secretarius.*

XXIX. At verò apud Papam vel Legatum circa Gallicana Beneficia jus solâ Signaturâ quæritur, quæ ad supplicationem apponitur, & scribitur in papyro sine ullius sigilli appositione. Cæteris verò in locis servanda est Cancellariæ regula 28. declarans Signaturam sine Bulla nullam facere fidem. Ipsa verò Bulla scribitur in membrana, & sigillo munitur. Sed in Gallia non recurritur ad Bullas post obtentam Signaturam, quæ sufficit apud nos ad Beneficii possessionem impetrandam, & sic evitantur magni sumptus. Verumtamen ad Consistorialia Galliæ Beneficia Bullæ necessaria sunt.

XXX. Ad evitandam falsitatem vel fraudem novissimè constitutum fuit Edicto Ludovici XIV. mensis Aprilis anni 1667. ut nulla fides habeatur Signaturis, Bullis, aliisque Romanæ Curie expeditionibus, nisi verificatae sint duorum Nummulariorum, sive Expeditionariorum certificatione ad ipsum originale scripta, tit. 15. art. 8. ejusdem Edicti.

XXXI. In Gallicano foro istud usu receptum est, ut si Datarius latitet, aut librum Datarum exhibere recuset, neque velit parvam datam postulantem concedere, ipsa ejus evasio & negatio pro Data sumatur, modò de recusatione illius constet per assertionem sive Apostolici, sive Regii Notarii, duobus testibus roboratam. Pastor libro 2. de Benefic. tit. 1. num. 5.

XXXII. Jus verò illud per Datam quæsitum conditioni subjacet, Si impetrans intra præfinitum tempus oblatâ supplicatione, signaturam Colatoris, & gratiam obtineat; cujus conditionis defectu fit caducum. Id tempus olim mense finiebatur apud Legatum, & quatuor mensibus apud Sanctissimum. Sed hodie in Gallia non nisi bimestri definit apud Legatum, & semestri apud Papam, juxta Regis Henrici II. Constitutionem, quâ tempus insinuationis Literarum Beneficialium eodem spatio circumscriptur. Rebuffus lib. 1. Praxis, tit. de parva data, num. 3.


XXXIII. Insuper caduca fit Data morte impetrantis, aut capitis diminutione, quæ est juridica infamia, aut superveniente excommunicatione. Data quippe ipsa nihil attribuit juris in re, sed tantum ad rem, quem

quemadmodum simplex electio, aut Patroni presentatio. Idecirò ante signaturam obtentam impetrator Datæ nihil prorsus agit cedendo, aut in alterius gratiam renuntiando. At verò morte Papæ aut Legati, Datæ ab his concessæ non fiunt caducæ, quia Dignitas nunquam deperit, cap. *Quoniam*, de offic. judic. deleg. & l. *Quod Principi*, D. de legat. 3. Sed solent literæ à successore expediri, commemoratione facta Datæ anterioris, à qua tempore retroacto vires sumunt: quemadmodum Papæ aut Legato mortuo post Signaturam concessam, literæ solent à successore expediri juxta tenorem Signaturæ, in forma, *Rationi congruit*.



CAPUT XXII.

Recensentur ea quæ post provisionem Beneficii faciendâ sunt.

I.  O S T habitam de Beneficio provisionem debet curare provisor, sive à Papa vel Legato, sive ab Ordinario, ut hæc provisio inferatur in Acta publica apud Tabularia illa, quæ Gallicè vocantur *Greffes des insinuations*, stabilita ab Episcopis intra suas Dioceses, juxta Edictum Henrici II. anni 1553. art. 1. Et si quando iisdem provisionibus duo plurae diversis in Diocesis sita Beneficia collata fuerint, fieri debet insinuatio, Gallicè *l'Enregistrement*, in tabulariis totidem diocesum, quot fuerint collata distita hujusmodi Beneficia, ut ibid. edicitur, art. 2. Hæc verò insinuatio, si provisio fuerit expedita in Romana Curia, faciendâ est intra sex menses à die provisionum computandos, d. art. 2. Sed si facta sit provisio per Legatum, vel Ordinarium, debet insinuari intra duos menses, art. 4. ejusdem Edicti. Sed si provisum fuerit de Beneficio in ipso loco ubi constitutum est illud insinuationum Tabularium, necesse est fieri hanc insinuationem intra dies octo ab ipsius provisionis data, d. art. 4. Theveneus scribens in hoc Henrici II. Edictum sapienter admonet, non idèò vacare Beneficium, si intra præscriptos illos temporum terminos omissa fuerit insinuatio, sed facillè istam purgari moram depromendo ex Cancellaria Regiæ restitutionis Literas adversus temporum lapsum.

II. Secundo loco curandum est, ut publicetur resignatio facta in Curia Romana intra sex menses, facta verò extra Curiam Romanam intra unum mensem à die resignationis admittæ, secundum Gallia Praxim, quanvis alibi, juxta quod exprimitur in Regula de publicandis resignationibus, computandum sit utrumque, & mensis, & semestris tempus à die, seu à Data ipsius

ipſius ſupplicationis, ut ſuprà monui, cap. 20. num. 3. Si verò extra Curiam Romanam facta ſit reſignatio, computandum eſt ſpatium unius menſis, quemadmodum & in collationibus quæ à Rege ſunt per reſignationem tempore Regaliæ, aut quocumque tempore quoad illa Beneficia quæ Rex pleno jure confert. At verò ſi aliter quàm per reſignationem Beneficium vacet, ſive per mortem, ſive propter delictum, ſive per defectum promotionis ad Ordinem requiſitum, ſive alio quovis diverſo à reſignatione modo, nullus erit huic publicationi locus.

III. Tertio is qui proviſionem Beneficii impetravit, tenetur antequam poſſeſſionem adeat, ſe proprio Præſbitero præſentare, ut eſt Epicoſopus, aut hoc abſente Vicarius Generalis, ad ſubeundum examen, & obtinendum quod vocant *Viſa*, vel Annexam. Teſtatur Oliva lib. 1. placitorum, cap. 16. & ex eo Deſpeſſeus, fuiſſe declaratam irritam Beneficii proviſionem in eo, qui hac neglecta obligatione poſſeſſionem Beneficii adiverat. Ibidem Oliva ſcribit, & poſt eum Deſpeſſeus, judicio ſupremi Tolofani Senatus fuiſſe decretum eum, quem alibi proviſum, puta in Romana Curia, noluit Ordinarius ſuus admittere ad examen, aut concedere *Viſa*, poſſe recurrere ad quemvis Epicoſopum, ad evitandas gravioreſ impenſas, neque adſtringi ad recurrentium ad Superiorem, puta Metropolitanum aut Primatem. Verumta nen foret hæc licentia peſſimi exempli, omnemque hierarchicum ordinem ſuldeque everteret. Quis enim talem contulit poteſtatem alieno Epicoſopo erga Clericum ſibi non ſubditum? Quidquid verò ſit de illo unico Tolofano Senatusconſulto, nullatenus illud trahi debet ad jura & conſuetudinem, ſive Regni, ſive Tolofani diſtrictus; neque fas eſt Catholico & ſapienti viro tantam perverſionem approbare, aut in exemplum proponere. Idque perinde eſſet ac ſi actor, cui ſuus immediatus Jux Superiori tribunali ſubalternus non ſatisfaceret, cum ex Juris ordine poſſet ad Tolofanum Senatum appellare, prætereret longioreſ moras & impenſas, eoque prætextu artentaret provocare ad alterum ſibi commodiorem Judicem ſubalternum, qui neque in ipſum actorem, neque in Judicem, de quo conqueritur actor, ulla polleret juridiſtione. Adeo neceſſe eſt, ut cum magna diſcuſſione & maturitate, præſertim verò in Eccleſiaſticis cauſis judiciâ procedant. Porro examiniſ ad proviſionem Beneficiorum tanta eſt neceſſitas, ut Edictum Molinense Caroli IX. anni 1566. jubeat articulo 5. ipſos quoque Graduatos ab Univerſitatibus nominatos, in quibus illi Gradus ſuſceperunt, examinari ab Ordinariis antequam de beneficiis provideantur. Iſta proceſſus pars dicitur *Viſa*, quia ex officio teſtatur Præſbiterus viſum à ſe atque examinatum Beneficii impetratorem aut petitorum. Et ſi contingat iſtum à Præſbitero rejici ut incapacem, nec iſte velit huic repulſæ acquieſcere, debet proviſus à Papa vel Legato, aut etiam is qui perit à ſuo Ordinario de aliquo Beneficio provideri, actum repulſæ ab eodem petere, ut ſibi per appellationem provideatur. Debetque Ordinarius

petitum actum concedere, causasque suae repulsae allegare speciatim, ut Superior ad quem provocatur, causas repulsae agnoscat, & his discussis de appellatione pronunciet. Id sancitur Edicto Blesensi ab Henrico III. artic. 13. Sed quum Ordinarius proprio motu aliquem promovet ad Beneficium, non opus est examine, neque id fert consuetudo; non enim nisi bene notos & probatos eligit ad regimina Ecclesiarum, ut non sit opus eos de novo discutere.

IV. Quartò edenda est à proviso professio fidei in manus Ordinarii, quae postmodum in actis publicis insinuetur. Et si agatur de Dignitate, Personatu, Officio, vel Præbenda Ecclesiae Cathedralis vel Collegiatae, iteranda erit similis professio fidei coram Capitulo. Haec praecipit Concilium Trident. sess. 24. cap. 12. de reform. & memorata Constitutio Blesensis art. 10. Facienda verò est ista fidei professio à praesente ante aditam possessionem, ab absente autem duobus saltem mensibus post sumptam possessionem.

V. Quintò provisos debet solenniter in possessionem mitti, alioqui nulla erit & irrita provisio, juxta Edictum Henrici II. anni 1550. art. 13. Quicumque vi Regiae Nominationis obtinere provisionem in Romana Curia, non possunt in possessionem mitti Beneficiorum istiusmodi Consistorialium in vim Bullae Pontificiae, sed necesse habent praeterea obtinere Literas magni Sigilli Regii, mandantes Judici Regio loci, aut cui alii ibi designato, ut provisum in possessionem inducat. Qua ex causa vulgò dicitur in Gallia, Plumbum nihil valere sine cera. Haec verò commissio non antè decernitur, quàm ex quo Regio Consilio constiterit, Bullam provisionis nihil oppositum continere Regis intentioni aut Ecclesiae Gallicanae privilegiis. Haec verò solennis aditio possessionis necessaria est, quanvis Praelatus provisum investierit per traditionem pilei aut pennae: quod genus investiturae est quidem initium possessionis, quae postmodò publicè compleri debet. Rebuffus in Praxi, p. 1. tit. de collationibus, n. 10. & 11. & tit. de mission. in possess. num. 6.

VI. Missio in possessionem fieri debet per Clericum ejusdem Diocesis, adjuncto Notario cum duobus tribusve testibus, qui fidem scripto faciant, juxta Henrici IV. constitutionem. Eaque fit per ingressum in Ecclesiam, sumptionem aquae benedictae, osculum ad Altare majus, contactum Missalis, sessionem in stallo, sonitum campanae, quanvis aliqua ex his solennitatibus sufficere queant, nec omnes simul requirantur. Ubi verò non conceditur ingressus Ecclesiae, sufficit contactus serae vel forium, Rebuffus in Praxi, tit. de mission. in possess. passim. Quod verò attinet ad Beneficia quae ad Capitula vel Collegia nullatenus pertinent, publicari solet possessio ad Missam Parochialem, vel etiam in foro, in platea publica, in causarum publico auditorio, quorum unum sufficit praesente Clerico Diocesis, qui in possessionem immittat cum Notario & testibus, adhibita scrip-
turâ

turâ debite subscriptâ. Acta porro possessionis sunt insinuanda ac referenda in Archivum Ecclesiasticum, juxta memoratum Henrici II. Edictum anni 1550. art. 6. 13. & 14.

VII. Cùm verò aditio possessionis non sit actus personalis, indifferens est ut fiat aut per provivum, aut per procuratorem. Rebuffus d. tit. de mission. in possess. num. 44. Atque absenti conferri possessio Beneficii vel Ecclesiæ potest, cap. *Accedens*, de præbend. Quin etiam jure civili acquiri possessio per alterum potest, non modò absenti, verùm etiam ignorantì, l. 1. C. de acquir. vel retin. possess.

VIII. Si obtenta provisio vitietur aliquo defectu, ob quem reddi posset inutilis, impetrandum tunc est à Papa rescriptum *Perinde valere*, quo provisio invalescit perinde ac si non intervenisset ille defectus. Ejus enim rescripti vis retrotrahitur etiam ad gesta præcedentia, eisque valorem conciliat. Rebuffus in Praxi, p. 2. tit. de rescripto Etiam, & *Perinde valere*, num. 2. & 3. Hoc tamen rescriptum non aliis, quàm iis quos expressit, defectibus medetur. Itaque rescriptum ab eo obtentum qui minor est, & illegitimè natus, si solum exprimit natalium defectum, non verò minorem ætatem ejus qui prosequitur curatum Beneficium, nequaquam reparabit defectum minoritatis. Rebuffus d. tit. num. 38. & 39. Et si occurrant alii defectus, ut cæcitas, dementia, nequaquam hoc rescripto resciantur, ibid. num. 14.

IX. Si plures de eodem Beneficio provisì fuerint, & lis inter eos ageretur, impetrari possunt Literæ subrogationis, ut alter in alterius locum & jura subrogetur per cessum aut decessum utriuslibet horum, ex Cancellariæ regula 27. ad succidendas lites excogitata, quæ ab exurgentibus novis adversariis possent in infinitum crescere & propagari. Hac Regula reservatur Beneficium collitiganti conditionaliter, si petat subrogari intra mensem numerandum à die mortis, si Beneficium vacat per obitum: si verò vacat per cessum, à die præstiti consensus. Quo fit ut si aliquis tertius intra id tempus provivus fuerit de eodem Beneficio per cessum vel decessum possessoris, vel institutus fuerit ad patroni præsentationem, atque intra idem tempus collitigans petierit subrogari, hujus subrogatione provisio tertii irrita fiat ipso jure; adeò ut neque possit convalescere morte, vel cessione, vel depositione subrogati. Quia obstat regula ista, *Quod ab initio non valet, tractu temporis non convalescit*. Gomecius ad Regul. de subrog. collitigant. quæst. 10. & 13. Collitigantium subrogatio non ab alio fieri potest quàm à Papa vel à Legato, à quibus tam in signatura, quàm in rescriptis clausula subrogationis inseritur. Huic Regula 27. Cancellariæ suffragatur cap. 1. & cap. 2. ut lite pend. nihil innov. in 6.

X. Hæc Regula sic intelligenda est, teste Rebuffo in Praxi, p. 2. gl. 3. in regul. de subrogand. collitig. quod si collitigans intra mensem à die quo alter collitigans cessit vel decessit, petierit in jura cedentis, vel defuncti;

defuncti subrogari, sit omnibus aliis præferendus, tametsi alii impetrantes fuerint in Data priores. Idemque tit. de subrogationib. num. 13. docet consuetudinem receptam hanc esse, ut Regula ista prodesse indifferenter valeat tam actori, quam reo seu defensori: quanvis cap. 2. ut lite pendent. in 6. prohibeat ne in jus petitoris aliquis subrogetur, sed tantum defensoris.

XI. Et licet vindiciæ, seu possessio Beneficii fuisset defuncto adjudicata, tamen saltem in Gallia possessio illa non continuatur ad subrogatum, juxta legem *Cum heredes*, D. de acquir. possess. quæ luculenter dicit jura omnia defuncti ad hæredem transire, sed non possessionem, quia hæc simul cum defuncto interit; & sic opus esse ut hæres adeat de novo possessionem hæreditatis. Rebuffus d. tit. de subrog. collitigant. num. 27. Qui idem num. 28. testatur hanc esse in Gallia praxim, ut post subrogationem rescripto Summi Pontificis, obtentam intra mensem, impetrentur quoque intra annum literæ Regiæ ad ineundam possessionem jure subrogationis: hac ratione, quia Rex & Regii Judices cognoscunt in Gallia de omni possessorio; & quia aliunde Interdicta possessoria anno terminantur ac perimuntur, l. 1. in princ. D. uti possidetis: & l. *In honorariis*, D. de obligat. & action. Et si quis per Literas Regias non petierit & prosequutus fuerit intra annum hanc in Beneficio subrogationem & possessionem, nullâ poterit restitutione adversus hunc anni lapsum juvari, ut multis Gallicanis Senatusconsultis probat Papo lib. 8. placitorum, tit. 7. §. 3. 4. & 5. Hinc annus decurrere incipit à die notitiæ provisionis; sed si non probetur anterior notitia, computabitur saltem à die initæ possessionis: ibid. §. 5.

XII. Quando duo provisum sunt de eodem Beneficio, potest alter horum novam provisionem impetrare in clausula & forma ista: *Si alteri jus non sit questum*. Quæ enim impedit plures titulos accumulare, ut unus alteri suppleat. Atque in hac forma necesse est ab oratore in supplicatione exprimi litigantium nomina, statum & qualitatem Beneficii, statum quoque ipsius causæ, cum vacationis modo. Felinus in cap. *Nastra*, verb. *Titulus*, de rescript.

XIII. Sed si inter duos, pluresve collitigantes novus adversarius exurgat, poterit etiam admitti sub clausula ista: *Si neutri*, vel *Si nulli jus sit questum*. Aded ut his causâ cadentibus, Tertius iste subrogetur; sed si quid juris habent, Tertius iste submoveatur. Non enim rescriptis suis intendit Papa quæsitio alterius juri præjudicare, cap. *Quanvis*, de rescript. in 6.



CAPUT XXIII.

Diversi quidam vacationis Beneficiorum modi
discutiuntur.

I. **EX**TENDIMUS hujus libri capite 8. spectabilia Beneficii acquirendi impedimenta : isto nunc capite tractationem suscipimus præcipuarum causarum, quæ vacationem Beneficiorum inducunt, quarum una est subsequens matrimonium. Ex quo enim provius de Beneficio matrimonium contraxit, vacat Beneficium ipso jure & facto, cap. 1. & cap. *Diversis*, & cap. *Cum decorem*, de Cler. conjug. Nec obstat quod isti Canones dicunt, Clericos qui uxores duxerunt, esse compellendos ad Beneficia dimittenda; id enim de dimittenda possessione dicitur, non de dimittendo Beneficio jam per matrimonium contractum dimisso.

II. Ut huic vacandi modo locus sit, debet esse matrimonium per verba de presenti contractum, quod Ratum vocant; non enim sufficiunt sponsalia de futuro: Canones enim loquuntur de uxoribus ductis, & matrimonii contractis. Nec requiritur ut nuptiæ fuerint consummata, cum id Canones minimè requirant. Ranchinus decisionum p. 5. conclus. 96. & 463. Rebuffus in praxi, p. 1. tit. *Requis. ad collat. bon.* n. 55. & p. 3. tit. *Regula de public. resignat.* glos. 18. n. 45.

III. Vacant præterea ipso jure beneficia ejus, qui in Episcopum electus & confirmatus, & in possessionem missus, tandemque consecratus est, aut saltem tempus exegit, quod Jus ad consecrationem requirit, cap. *Cum in cunctis* 7. §. *Cum verò*, de election. Tempus autem illud ad consecrationem Episcopi requisitum est trium mensium, can. *Quoniam*, dist. 100. Concilium Trident. sess. 23, cap. 2. Hæc autem vacatio de quibuscumque Beneficiis intelligitur, Dignitatibus, Personatibus, Officiis, Beneficiis curatis, simplicibus, in Titulum, in Commendam. Quin etiam hoc jus ad pensiones extendunt Garcias p. 11. cap. 6. & Gigas de pensionib. quæst. 56. Sed hoc minùs probabile est: pensiones enim non comprehenduntur nomine Beneficiorum, de quibus solis loquitur dictum cap. *Cum in cunctis*. Potest autem Papa cum novo Episcopo dispensare super ista præcedentium Beneficiorum vacatione. Gloss. in can. *Si quis*, verb. *Translatus*, 21. q. 2.

IV. Vacant præterea ipso jure Beneficia ejus, qui per solemnia Religionis vota professionem legitimam emittit, nimirum liberè, & legitima ætate, & post annum probationis, & coram legitimo Superiore, cap.

E c Beneficium

Beneficium, de Regularib. in 6. Non enim licitum est cuiquam duplici fungi militia, & duobus cingulis ac stipendiis mereri, l. *His quidem*, C. qui milit. non poss. lib. 12. Nec sufficit ad Beneficiorum vacationem sumptio & gestatio religiosi habitus citra veram professionem. Quin etiam in Gallia non sufficit tacita professio, sed requiritur expressa, & in scripturam ab ipso proficiente subscriptam redacta. Cum enim Constitutio Molinensis sub Carolo IX. art. 55. nullam admittat religiosam professionem etiam testibus & plurium annorum habitus gestatione probatam, nisi de eadem per scripturam à proficiente subsignatam constet, monachus in Regno Franciæ professus non excidit juribus pristinis quoad forum externum circa possessa beneficia & successiones, nisi scripto ejus professio completa fuerit. Brodeus in Louetum lit. B. cap. 12. Despeillus tract. de Benefic. tit. 11. sect. 5. num. 2.

V. Queritur si professus Regularis ad sæculum redeat, an possit dimissa Beneficia recuperare: Distinguendum hic est; si enim post legitimam & validam professionem, etiamsi postea cum eo Papa dispensaverit, etiam ob causam legitimam, qualis est notabilis infirmitas, exeat licite de monasterio, non potest nihilominus antea liberè dimissa Beneficia recuperare: quin etiam inhabilis manet ad quævis secularia Beneficia aut pensiones super illis obtinendas, nisi ad hæc etiam fuerit expressè per Papam rehabilitatus. Rebuffus tit. de dispensatione cum Regularib. Existit enim verè Religiosus, & ita incapax est Beneficii secularis, imò & regularis alterius Ordinis quàm ubi professus fuit, cap. *Cum singula*, §. *Prohibemus*, de præbend. in 6. Atque hoc statuendum ad primum distinctionis membrum.

V I. Si verò redeat professus ad sæculum ob nullitatem seu invaliditatem suæ professionis juridicè probatam & declaratam, eo casu si alia non obstant impedimenta, capax est suscipiendi Beneficia & pensiones, potestque bona temporalia & pristina Beneficia, pensiones, aliaque spiritualia jura quæ per invalidam professionem abdicasse visus fuerat, resumere, saltem obtentis in integrum restitutionis Literis. Sanè ob stare huic potest exceptio pacificæ triennalis possessionis; talis enim possessor juvatur titulo, neque potest ipsi vis, aut intrusio, aut simonia objectari, quibus solis frustrari potest triennii pacifici privilegium. Sed si non intercessit triennium, haud dubiè invalidè professo competit jus regressus ad pristinum Beneficium; nullitatem enim professionis comitatur nullitas renunciationis Beneficiorum, pensionum, & honorum temporalium; cum omnis hæc abdicatio fundetur in sola professione, quæ prorsus irrita & nulla fuit; sublatâ enim causâ tollitur effectus, & subverlo fundamento corrui omne superstructum. Confirmatur etiam hæc decisio his Concilii Tridentini verbis sess. 25. de Regular. cap. 16. *Nulla renunciatio effectum intelligatur sortiri, nisi sequenti professione.* Igitur cum nulla fuerit renunciationem consequit

consequuta professio, nullam habet vim præcedens renunciatio. Præterea in collationibus factis ex causa vacationis Beneficiorum ob religiosam professionem, ista juris conditio necessariò involvitur, Si sit valida professio. Huc etiam spectant juris dispositiones & rationes quæ habentur D. de conditione causa data & causa non sequuta, & D. de conditione sine causa, & l. ultima, C. de revocand. donation.

VII. Hoc tamen constanter tenendum, quod si quis invalidè professus redeat in Clerum secularem, & inopiâ labore, poterit Ordinarius detrahere de fructibus Beneficii pristini, unde per exceptionem triennii pacifici repellitur, moderatam pensionem ad ipsius sustentationem. Pastor lib. 3. tit. 17. num. 6. ad fin.

VIII. Vacat pariter Beneficium Sacerdotio annexum, si provifus ad Sacerdotium integro anno non curaverit promoveri, cap. *Cum in cunctis*, §. *Inferiora*, de election. & cap. 1. de ætat. & qual. & ord. præficiend. & cap. *Ei qui*, de præbend. in 6. & Clemest. *Ut ii*, de ætat. & qual. præfic. & Concilium Trident. sess. 22. cap. 4. & sess. 24. de reform. cap. 12. §. *Neminem*. His conforme est Edictum Henrici IV. anni 1606. mensis Decembris, art. 1. Itaque electus aut provifus de Beneficio curato, non est necesse ut jam sit actu Presbyter, sed ut possit esse Presbyter intra ipsum annum. Idem juris est circa beneficia quævis Diaconatum, aut Subdiaconatum requirentia. Tridentinum sic statuit in d. §. *Neminem*. *Neminem etiam ad dignitatem, Canonicatum aut portionem recipiant Collatores, nisi qui aut eo Ordine sacro sit initiatus, quem illa Dignitas, aut Præbenda, aut portio requirit; aut in tali ætate sit, ut intra tempus à jure & ab hac Sacra Synodo statutum initiari valeat.* Quibus ex verbis perspicue infertur, posse aliquem inchoato ætatis anno vigesimoquarto provideri de Beneficio curato, cum ex Tridentino Concilio duo ista constent, & anno inchoato vigesimoquinto posse aliquem ordinari Sacerdotio, & insuper tale illi Beneficium conferri qui possit intra eundem annum Sacerdos fieri: & ex consequenti conferri posse tale beneficium illi qui jam annum ætatis vigesimumquartum inceperit. Enimverò sess. 24. cap. 12. §. *Nemo*, sic decernunt Tridentini Patres: *Nemo ad Dignitates quascunque, quibus animarum cura subest, promoveatur, nisi qui saltem vigesimumquartum ætatis annum attingerit.*

IX. Vel igitur Beneficio annexi sunt Ordines simpliciter & absolute, & tunc satis est ut qui providetur in ea sit ætate, ut ad requisitum Ordinem promoveri intra annum possit: aut certè Ordines sunt Præbendis annexi, ut conferri Præbendæ non aliis possint, nisi illis qui jam actu eodem Ordines susceperint, sive jure id exigente, sive speciali statuto, sive consuetudine, sive fundatione; & isto casu talis conferri Præbenda non potest, nisi illi qui jam actu requisitum Ordinem susceperit. Prosper Fagnanus in cap. 1. de ætat. & qual. & ord. num. 52. refert sacram Congregationem Concilii judicasse & declarasse, si ex fundatione Capellanix

cautum sit ut Rector, seu Capellanus per se Missas celebret, id non obstare quominus conferri simplici Clerico possit, modò in ea sit ætate ut intra annum fieri Sacerdos possit; sed tamen hoc impedire ne conferri Clerico quatuordecim annorum possit, quæ ætas requiritur à Tridentinò Concilio ad minora Beneficia simplicia: adjungo, neque in Gallia Clerico septenni, qui minorum simpliciorum Beneficiorum & Capellaniarum in hoc Regno capax est, dummodò provideatur ut servitium & onus per virum debito Ordine initiatum exerceatur; quatenus qui per alium facit, per seipsum facere videtur, ex regul. juris in d. cap. *Qui facit*.

X. Verumtamen in Gallia annus iste promotionis ad Ordinem non incipit dinumerari nisi post annum pacificæ possessionis, adeò ut post sumptam Beneficii collati possessionem duo anni excurrant. Sic enim Edictis Blefensibus art. 9. sancivit Henricus III. de Abbatibus & de Conventualibus Prioratibus, ut his provisi se ad Sacerdotium promoveri faciant intra annum. Et mox subjungit: *Et ubi illi post biennium non fuerint Sacerdotio initiati, eo ipso vacabunt, & ab aliis impetrari ejusmodi beneficia poterunt: illi vero tenebuntur fructus omnes perceptos restituere ad pias causas applicandos.* Confirmatur quoque Henrici IV. Edicto anni 1606. art. 1. in fine, his verbis: *Ut habentes Dignitates in Ecclesiis Cathedralibus teneantur sub pena amissionis earum promoveri ad Sacerdotium intra annum à die pacificæ possessionis inchoandum.* Præterea Clement. *Ut ii qui*, de ætat. & qual. & ordin. præfic. prærequirit expressis verbis ante annum promotionis ad Ordinem pacificam possessionem. Idque æquitati consentaneum est, ne si contingat Beneficium evincti, is qui possederat, adstrictus hac occasione Ordini sacro cogatur inops, cum status Ecclesiastici dedecore, famelicus, lacerus & mendicans vitam degere; quod evitandum esse docet can. *Diaconi*, dist. 93. Itaque in Gallia Regno primus annus possessionis Beneficii non connumeratur cum anno ad Ordinis sacri promotionem requisito, eoque duorum annorum spatio decurso vacat consecutum Beneficium ejus, qui requisitum Ordinem sumere neglexit. Ita docent ex juribus citatis, & ex quamplurimis Gallicanis Senatufconsultis Rebuffus tit. de non promotis intra annum, num. 44. & 45. Papo lib. 3. Placitorum, tit. 15. Bochellus in praxi benef. vers. *An de promotione*. Pastor lib. 3. tit. 16. num. 3. Despeiffes tract. de benef. tit. 9. sect. 8. num. 6. Hinc sequitur, Curatum necdum Sacerdotem posse ad finem anni sibi ad sumendum Sacerdotium indulti suam illam Curatam Ecclesiam cum alio Beneficio permutare, ut docet ibid. Rebuffus num. 37. & 38. quia scilicet habet plenum jus etiam nunc in Beneficio, donec integer annus expiraverit. Idem docet Bengens tit. quibus mod. vacent vel amittantur benef. §. 3. num. 31. & 32. In omnibus enim temporalibus actionibus, nisi novissimus totus dies impleatur, jus integrum perdurat, nec finitur obligatio, l. *In omnibus* 1. D. de action. & obligat.

XI. Excusati

XI. Excusat tamen ab hac ad Ordinem Sacrum intra annum promotione legitima impossibilitas, ut adversa valetudo, pestis, bellum, captivitas: item dispensatio, quæ potest etiam ex rationabili causa concedi non modò à Papa, sed etiam ab Ordinario. Vide ad hæc d. art. 9. Edicti Blesensis. Hæc eadem tradit Rebuffus p. 2. praxis, tit. de dispensation. de non promovendo, num. 1. & 2. & Despeisseus d. tit. 9. sect. 8. num. 10. Quin etiam diserte cap. *Licet canon*, §. *Super residentia*, de elect. in 6. istam in hac ipsa materia specificam dispensandi potestatem Episcopis attribuit, simulque providè admonet, debere ab eisdem provideri de Vicario, qui hoc temporis intervallo assignatâ sibi de proventibus Beneficii congruente portione, Curæ ministerium exequatur.

XII. Alius vacationis Beneficiorum modus est incompatibilitas cum altero Beneficio. Quisquis igitur de Beneficio provifus novum postea Beneficium acquirit cum priori incompatible, alterum horum amittat necesse est. Primitus quidem statuerat Lateranense sub Alexandro III. Concilium, ut taliter provifus amitteret posterius acquisitum Beneficium, cap. *Quia nonnulli*, de Cler. non resid. Sed posterior juris dispositio, quæ nunc viget, satius duxit ut privetur prius acquisito Beneficio, cap. *De multa*, de præbend. Clement. *Si plures*, & Clement. fin. eod. tit. & demùm Concilium Trident. sess. 7. cap. 4. de reform. Potest ipso jure Episcopus prius illud, utpote ipso jure vacans, alteri conferre, d. cap. *De multa*, & cap. *Licet Episcopus*, de præbend. in 6. Ab ista tamen Beneficii vacatione Papa dispensare potest, d. cap. *De multa*, de præbend. Rebuffus in praxi, p. 2. tit. de dispensat. ad plura benef. à num. 26. usque ad num. 35. quo loco docet, posse quoque Episcopum ex rationabili causa dispensare ad plura simplicia Beneficia, sed non ad curata. Invalida porrò est Papæ dispensatio, cujus impetrator omiserit vel unum tenue Beneficium exprimere quod possidet, cap. *Non potest*, in princ. de præbend. in 6. Verumtamen electus in Episcopum, etsi adeptus fuerit novi Episcopatus possessionem, non tamen statim excidit antè habitis Beneficiis etiam incompatibilibus cum Episcopatu, nisi post consecrationem, cap. *Cum in cunctis*, §. *Cum verò*, de election. In aliis verò Dignitatibus aut Beneficiis fit jactura ex incompatibilitate secundùm jus commune statim ab indepta corporali possessione; secundùm autem Galliæ praxim, finito pacificæ possessionis anno, neque opus est ut Collator ad conferendum Beneficium ex incompatibilitate vacans requirat, vel citer ejus possessorem; sic enim docent Joan. Andr. in cap. *De multa*, de præbend. num. 10. & Prosper Fagnanus ibid. num. 16. probantque ex hisce Canonis verbis, *Liberè conferat*, idest sine ulla admonitione. Quod idem servari potest in omnibus aliis quoque casibus, ubicumque beneficium quodvis ipso jure vacat, teste Innocentio in d. cap. *De multa*, num. 3. & Fagnano ibid. num. 16. Si quæras utrum Regula de trienniali possessore faveat huic incompatibilia possidenti? Nego.

Ec. 3. cum

cum Fagnano ibid. num. 48. & seqq. eo quòd scienter promotus ad incompatibilia habeatur pro intruso, quem verba Regulæ excludunt à Beneficii triennalis possessione: atque ita refert judicatum à Sacra Congregatione Concilii, & approbatum à Papa hoc judicium die 28. Januarii an. 1587. Quoad porrò alteram Regulam de annali possessore, docet ibid. Fagnanus hac juvari possessorem incompatibilium. Ratio est, quia Regula ista nihil intendit, quàm exclusionem novi impetrantis negligentis adimplere, quæ Regula eidem facienda præscribit: neque tamen jus ullum præbet illegitimæ possessioni; quæ sumptâ, statim locum esse vacationi incompatibilium docet Gloss. in d. cap. *De multa*, quæ voces, *post receptionem alterius*, exponit corporalem possessionem. Quin etiam hoc idem disertè sancitur cap. *Licet Episcopus*, de præbend. in 6. & consentit Fagnanus in d. cap. *De multa*, num. 9.

XIII. Beneficia incompatibilia sunt duæ Dignitates, duo Personatus, duo Officia quæ residentiam sequuntur, duo etiam Curata Beneficia, duo conformia intra eandem Ecclesiam Beneficia, ut duo Canonicatus; item duæ Vicariæ perpetuæ, regulare quoque Beneficium cum altero seculari. Potest tamen unus & idem simul esse Canonicus & Curatus in eadem Ecclesia. Ista omnia fusè tractat & probat Rebuffus p. 2. tit. de dispensation. ration. ætat. in verb. *Incompatibilia*. Usus denique generalis obtinuit, ut duæ sub eodem tecto, seu Ecclesia teneri possint Capellaniam simul.

XIV. Ab hisce incompatibilitatibus excipiuntur Beneficia unita, cap. *Dudum*, de election. cap. *Eam te*, de æt. & qual. & ord. præfic. Excipiuntur pariter commendata Beneficia ad tempus, scilicet sex mensium. Istudque genus Commendæ potest Episcopus conferre ex justa causa, ut est necessitas, aut evidens utilitas, cap. *Nemo deinceps*, de election. in 6. Rebuffus p. 1. praxis, tit. de commend. num. 29. 30. & 31. Commendam verò perpetuam, seu ad vitam solus conferre summus Pontifex potest. Et in univèrsim Commendatum Beneficium, sive ad semestre, sive ad omnem vitam, non est incompatible cum alio quovis in titulum collato Beneficio, can. *Qui plures*, 21. quæst. 1.

XV. De pluribus Beneficiis simplicibus Doctores in cap. *Extirpanda*, §. *Qui verò*, de præbend. communiter affirmant simul teneri posse per Episcopi dispensationem; quanvis nullam prorsus requiri ob contrariam ubique usitatam consuetudinem, tradat Rebuffus p. 2. tit. de dispensat. ad plur. benef. num. 29.


XVI. Observandum est, etiamsi possessione Beneficiorum incompatibilium vacet primum ipso jure, non tamen prohiberi his provilum resignare alterum horum, dummodo jus non fuerit alicui tertio quæsitum. Nam si ex illa secundùm jura vacatione Papa vel Ordinarius alteri de primùm adepto Beneficio providisset, jam non relinqueretur resignationi locus.

locus. Aliud verò est vacare Beneficium jure ipso duntaxat, & aliud vacare idem ipso facto. Ubi enim vacat solo jure, potest adhuc Beneficii possessor ipsi renunciare, sive simpliciter, sive in favorem, re adhuc integra, si alius nemo impetraverit. Et hac ratione potest unum resignare, qui plura possidet incompatibilia; potestque similiter resignare re adhuc integra is qui ad Ordines requisitos non est toto anno promotus. Et Episcopus pariter resignare potest beneficia ante Episcopatum adepta. Ubi verò Beneficium vacat ipso facto, non relinquitur novæ renunciationi locus. Vacat verò ipso facto Beneficium per cessum aut decessum, per matrimonium, per religiosam professionem. His enim casibus involvitur vel expressa, vel tacita renunciatio juris & possessionis præhabiti Beneficii.

XVII. Plura de incompatibilibus Beneficiis, & quandonam unius accessu alterum vacet, sive ex jure communi, sive ex jure Gallicano, require superius in hujusce libri titulo *De resignationibus in favorem*, art. 8. ad finem.

XVIII. Vacationem quoque Beneficii nonnunquam inducunt censuræ, aliæque pœnæ Ecclesiasticæ, necnôn permulti canonici defectus. Sed de his inferius peculiari libro disseretur.

XIX. Quando quis sive per resignationem, sive jure devoluto Beneficium impetrare cupit, consultissimum est ut clausulam ad titulum quem proponit, superaddat istam: *Sive quocumque alio modo Beneficium vacet.* Fortassis enim alius petitor consurget, qui propter alium quemcunque defectum, aut incapacitatem possidentis, sibi Beneficium hoc idem deposcat, contendatque, neque potuisse ab illo possideri, neque ab eodem in alterum transmitti; cum nemo plus juris in alium transferre possit, quàm ipse habet, cap. *Nemo potest*, de reg. jur. in 6. & l. *Nemo plus juris*, D. eod. ut si erat illegitimè natus, aut aliter irregularis, vel excommunicatus, nec dispensatus quando Beneficium adivit. Nihil autem inhihet ad pleniorum securitatem jura plura accumulare: & quando plures eandem in rem concurrere possunt actiones, una alteram non excludit, & una deficiente, altera jus quæsitum roborat, §. ult. Instit. si quadrup. pauper. fec. dicat. & l. penult. D. de obligat. & actionib. & cap. *Nullus pluribus*, de regul. jur. in 6.



* C A P U T XXIV.

De Electione, simulque de Capituli jure
& potestate.

CAPITULORUM jura singularia neque profequi velim, neque si vellem possim, cum saepenumero contrariis statutis & oppositis consuetudinibus regantur. Sed ea sola attingere mens est, quæ sunt communis juris. Electio facienda est omnibus vocatis & presentibus, qui possunt commodè interesse. Et si unus, aut alter jus habens suffragii vocatus non sit, ad ejus prosecutionem irrita fiet electio etiam confirmata. Sed eadem valida erit, si non vocatus eidem studio pacis acquiescit, cap. *Quod sicut* 28. de election. Hic ergo casus excipitur ab illa regula juris, *Quod ab initio non valet, tractu temporis non convalescit*, leg. *Quod initio*, D. de regul. jur. Et, *Non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non subsistit*: cap. *Non firmatur*, eod. tit. in 6. Cessat hinc etiam alia regula: *Ratum quis habere non potest, quod suo nomine non est gestum*, cap. *Ratum*, eod. in 6. Similiter in Jure Civili testamentum patris alioqui irritum & inofficiosum valet, si filius præteritus non conqueratur, l. *Filio præterito*, D. de injust. rupto vel irrito testam.

I. Absens legitimè impeditus ne possit Capitulo interesse, procuratorem constituere potest de corpore ipsius Capituli in negotio electionis, cap. *Quia propter*, §. *Illud autem*, de election. & cap. *Cupientes*, §. *Insuper*, & §. *Electos*, eod. tit. in 6. & cap. *Si quis justo impedimento*, eod. in 6. Valetque hinc illa juris regula: *Potest quis per alium, quod potest facere per seipsum*, cap. *Potest quis*, de reg. jur. in 6. Quanvis fuerit olim Galliarum consuetudo, ut absentes vocandi essent ad Capitulum de toto Regno, ut testatur cap. *In Genesi*, de election. Illa tamen consuetudo prorsus antiquata est, nec ullibi servatur, adeò ut non vocentur nisi soli qui sunt in civitate vel oppido, in quo Capitulum convocatur: & si secus agendum esset, excideret sæpe Capitulum jure suo, & per ejus moram aperiretur locus aut præventioni Papæ vel Legati, aut devolutioni ad Superiorem, maximè cum in electione Vicarii Generalis Sede vacante. Capitulum non habeat plusquam octo dies, ut infra docebimus, num. 18.

III. In Capitulis sive Cathedralibus, sive Collegialibus, sive Regularibus virorum nemo vocem ac suffragium habere potest, qui non sit Subdiaconus, ut statuit Concilium Viennense in Clement. *Ut ii qui in divinis*

divinis, de aetat. & qual. & ord. & Concilium Trident. sess. 22. cap. 4. de reform.

IV. Triplicem canonicæ electionis formam proponit caput *Quia propter*, de elect. desumptum ex Concilio Generali Lateranensi sub Innocentio III. scilicet per Scrutinium, ut presentibus omnibus qui debent, & volunt, & possunt commodè interesse, assumantur tres de collegio fide digni, qui secretè & sigillatim vota cunctorum diligenter exquirant, & in scriptis redacta mox publicent in communi, ut is collatione habità eligatur, in quem omnes, aut major & sanior pars Capituli consenserit: vel per Compromissum, quo potestas eligendi aliquibus viris idoneis committitur, qui vice omnium provideant & eligant: vel per Inspirationem, quum sine fraude & vitio omnes communi sensu conveniunt in unam personam, & sic eam eligunt.

V. Cæterum prædictam scrutinii formam quia non satis secreta erat, Concilium Tridentinum abrogavit sess. 25. de Regul. cap. 6. sanciens fieri deinceps per vota secreta, ita ut singulorum eligentium nomina nunquam publicentur. Vetat præterea voces & suffragia absentium suppleri. Et addit: Si verò contra hujus decreti constitutionem aliquis electus fuerit, electio irrita sit.

VI. Circa electionem Abbatissarum idem Tridentinum sess. 25. cap. 7. sic providet: *Abbatissa, & Priorissa, & quocunque nomine præfecta vel præposita* appelletur, eligatur non minor annis quadraginta, & quæ octo annis post expressam professionem laudabiliter vixerit. Quod si his qualitatibus non reperitur in eodem monasterio, ex alio ejusdem Ordinis eligi possit. Si hoc etiam incommodum Superiori, qui electioni præest, videatur, ex iis quæ in eodem monasterio annum trigessimum excesserint, & quinque saltem annis post professionem rectè vixerint, Episcopo vel alio Superiore consentiente eligatur. Duobus verò monasteriis nulla præficiatur. Et paulò post: *Is verò qui electioni præest Episcopus, sive alius Superior, claustra monasterii non ingrediat, sed ante cancellorum fenestellam vota singularum audiat vel excipiat. In reliquis serventur singularum Ordinum vel Monasteriorum constitutiones.*

VII. Ex his liquet, Concilium in hoc maxime intendere, ut electiones liberæ omninò sint & secretæ quoad eligentium personas ac nomina, & ut si secus fiat, pro nullis habeantur. Et Suarez tom. 4. de religione, lib. 2. cap. 5. n. 12. refert & sequitur declarationes Congregationis Cardinalium, necnon decisiones Romanæ Rotæ, quibus statuitur nullam fore electionem, si vel unius vocalium nomen etiam fortuito innotuerit. Paria scribit etiam Barbosa ad citata paulò antè Tridentini loca.

VIII. Suffragiorum libertati suffragatur Concilium Lugdunense, cui præfedit Gregorius X. & refertur in cap. *Ubi periculum*, §. *Cæterum*, de elect. in 6. *Quum arbitrium* (inquit) *vel inordinatus captivus affectus, vel ad certum aliquem obligationis cujusque necessitas adigit, cessat electio, dum libertas adimitur eligendi.* Et districtè prohibetur illis qui electionibus præsumunt, ne

Ff libertatem

libertatem eligentium restringant ad unum de duobus vel tribus, quos proposuerint, eligendum, cap. *Cum terra*, de election. Quo loco Panormitanus ait consuetudinem illam nullâ temporum præscriptione valere posse, quâ Capitulum eligat aliquem ad alterius nutum, nec sit in plena libertate electorum electio ipsa; nam libertas est de electionis essentia. Sylvester hoc idem asruit verb. *Electio* 1. n. 26. Rodericus in quaestionibus regularibus, art. 10. allegat Pii V. Bullam anni 1571. quæ constituit, ut si Commissarius, aliusve qui præest electioni, convictus fuerit quocumque modo impedivisse libertatem eligentium, removeatur ab officio. Idemque Rodericus art. 11. scribit se vidisse tres electiones annullatas, eo quod ii qui illis præfederant, eas restrinxissent ad tres, aut quatuor personas eligendas.

I X. Et certè cum Sacri Canones electionem irritam & nullam declarent, in qua vel unus vocalium neglectus fuerit appellari, cap. *Quod sicut*, de elect. quantò major erit invaliditatis causa, si plures habentes jus passivæ vocis simul excludantur, ut duo tresve duntaxat ad idem jus admittantur passivi suffragii, & omnium simul vocalium jus & libertas activi suffragii adimatur quoad reliquorum omnium electionem, ut restringatur ad duos, vel tres tantummodò eligendos? Navarra etiam lib. 1. consil. cap. 5. & Manual. cap. 22. n. 51. docet ex metu reverentialem erga personam quæ polleat autoritate supra vocales, non minùs irritam fieri electionem, quàm matrimonium ex solo reverentialem metu contractum. Constitutiones Ordinis Prædicatorum dist. 2. cap. 2. §. 4. prohibent in electionibus proponi à Superioribus certas personas eligendas, & jubent acceptari indifferenter aliarum personarum electiones, si sint idoneæ & suffragii passivi capaces. Rodericus verò Ordinis Franciscanorum loco cit. refert istam sui Ordinis Constitutionem, quod nulla electio possit coarctari; & si fuerit ad certum eligendorum numerum coarctata, sit irrita & nulla, nisi fortè ceciderit electio in aliam non propositam personam.

X. Quod attinet ad electionem per compromissum, tenentur compromittentes electum à compromissario acceptare, si sit idoneus, cap. *Causam*, de election. in quo agitur de quadam electione quam Moniales in Episcopum compromiserant.

XI. Procuratores, quales sunt deputati singulorum Conventuum ad Capitulum, sive Generale, sive Provinciale, quantumvis habeant generale mandatum, non possunt compromittere, neque transigere sine speciali mandato, cap. *Per tuas literas*, & ibi Glossa, de arbitris: l. *Mandato*, D. de procurat. l. *Transactionis*, C. de transact. Rebuffus in Concordata, ad fin. tit. de electionis derogatione, refert quadragintaseptem casus, ad quos non potest generale mandatum extendi, atque in his refert compromissum & transactionem. Additque generaliter in omni occurso difficili & gravis momenti requiri in procuratore speciale mandatum, idque multis testimoniis confirmat.

XII. In omni electione quæ fit per compromissum, duo hæc necessariò requiruntur. Primò necesse est omnes & singulos vocales consentire ad compromissum, nemine excepto, alioqui nihil agitur, cap. *Quia propter*, §. *Vel saltem*, & ibi Glossa vers. *Vice omnium*, de election. Rodericus in quaestio- nibus de Regularib. quaest. 54. art. 12. asserit omnes Doctores in hac re consentire. Secundò post factam & publicatam ex compromisso electionem in- terponendum est aliquod tempus ad explorandum num electæ à compromif- sariis personæ sint idoneæ. Non enim compromittentes tenentur electos à compromissariis acceptare, nisi sub hac conditione, cap. *Causam qua*, de election. cap. *Cum dilectus*, eod. cap. *Cum olim*, de arbitris, & cap. *Si com- promissarius*, §. *Si verò*, de elect. in 6. habentque compromittentes idem jus quod habet Superior antequam admittat & confirmet præsentatam sibi ab in- ferioribus electionem, cap. *Postquam*, de elect.

XIII. Is qui non est professus, non potest eligi in Abbatem, cap. *Cum in magistrum*, & cap. *Cum causam*, & cap. *Cum ad nostram*, de elect. Misc- rum enim est, eum fieri magistrum qui formam discipuli non assumpit, can. *Miserum*, 61. dist. & d. cap. *Cum in magistrum*.

XIV. Observandum ubi jus requirit majorem & saniozem Capituli seu eligentium partem, ut in d. cap. *Quia propter*, partem minùs sanam non aliter intelligendam esse, nisi si eligat, vel statuât contra Sacrorum Canonum præscripta. Exempli causâ, si major Capituli pars sit interdicta vel suspensa, aut si major Capituli pars consentiat in electionem personæ secundum jura incapacis & inhabilis; tunc enim jus eligendi ad minorem partem, quæ sanior est, devolvitur, cap. *Gratum*, de postulat. Prælat. Hæc est doctrina Glossæ in cap. *Ea nescitur*, vers. *Majori & saniori*, de his quæ fiunt à Prælat. sine cons. Capit. Præclarèque dicit cap. *Indemnitati*, §. *Ut autem*, de elect. in 6. in electione non zeli ad zelum, neque meriti ad meritum, sed numeri ad numerum faciendam esse collationem. Et utique si aliter res esset, injiceretur inter vocales pomum discordiæ amaricantis zeli, mutuarum accusationum & contumeliarum, & implacabilis odii fo- menta, si merita vel demerita essent exploranda, & invicem comparanda vocalium.

XV. Invalida prorsus est rei Ecclesiæ alienatio per Episcopum facta sine Capituli consensu, cap. 1. de his quæ fiunt à Prælat. sine cons. Capi- tuli. Neque debet Episcopus negotia Ecclesiæ tractare, statuere, immuta- re, corrigere sine consilio Capituli, cap. *Novit*, & cap. *Quantò*, eod. tit. Ibi que ait Panormitanus, Capitulum esse hoc idem respectu Episcopi, quod Cardinales Ecclesiæ Romanæ respectu Papæ, ut sic Canonici sint Senatus Assessores, & Consilarii ipsius Episcopi. Addit ibidem, Episco- pum non posse inconsulto Capitulo nova statuta condere. Similiter Abba- tes & Abbatissæ nihil possunt de monasterii temporalibus alienare sine Capituli proprii consensu, cap. 2. eod. tit. In alienatione quoque rerum

Ecclesie quilibet de Capitulo jus habet contradicendi ceteris omnibus vocabulis, & alienationem solus impedire, aut factam revocare potest, cap. *Si quis*, de reb. Eccl. non alien. Atque hinc valet juris regula: *In re communi potior est conditio prohibentis*, cap. *In re communi*, de regul. jur. in 6.

XVI. Istud hinc in primis sciendum, valde differre consilium à consensu. Multa enim potest Episcopus sine consensu Capituli, quæ tamen non posset irrequisito Capituli consilio. Et Capitulum habet plerumque jus consultivæ vocis, & non decisivæ: plerumque etiam habet jus simul consultivæ & decisivæ vocis cum Episcopo. Quando igitur jura præscribunt Episcopo ut agat cum consensu Capituli, non potest Episcopus à Capitulo dissentire, ut diximus in alienatione rerum Ecclesie, quam facere non potest Episcopus, nisi cum Capituli consensu. Ubi verò jus exigit Capituli consilium ab Episcopo exquiri, ut in cap. *Novit*, & cap. *Quanto*, de his quæ fiunt à Prælat. sufficit si Episcopus Capitulo proponat, ejusque consilium exquirat, quod tamen sequi minime tenetur. Ad hæc textus est expressus in cap. *Cum olim*, de arbitris: & Gloss. in cap. *Si pro te*, verb. *Assensus*, de rescript. in 6. & in cap. unico, §. *Cum verò*, in verb. *Assensus*, ne Sede vacant.

XVII. Si collatio ad Episcopum & Capitulum conjunctim pertinet, cum primùm vacabit Sedes Episcopalis, jus Episcopi Capitulo accrescet, non verò si collatio pertineat ad Episcopum cum consilio Capituli: quo casu vacante Sede non poterit Capitulum conferre. Rebuffus in praxi, tit. de devolut. num. 4. Zerola praxis Episcopalis p. 1. verb. *Capitulum*, quæst. 5. Idque ipsum clarè decidit cap. unic. ne Sed. vacant. in 6. quo pariter statuitur, ut si consuetudine, aut particulari statuto Capitulum conferre debeat cum consilio Episcopi, & contingat Episcopum mori, aut impediri per ejus in remotis partibus absentiam, aut etiam esse suspensum, istis casibus totum conferendi jus accrescat Capitulo.

XVIII. Sede vacante Capitulum intra dies octo debet de Vicario Generali, & de Officiali viduata Ecclesie de novo providere, aut prius existentem, cujus jurisdictione simul cum Episcopo interiit, confirmare de novo. Si istud officium à Capitulo negligitur, transacto octiduo jus hoc ad Metropolitanum devolvitur. At si viduata sit Ecclesia Metropolitana aut exempta, tunc antiquior Episcopus ex suffraganeis in Metropolitana, & propinquior Episcopus in exempta Ecclesia de Vicario & Officiali debet providere. Concilium Trident. sess. 24. de reform. cap. 16.

XIX. Electio ejus qui assumendus est ad Præbendam Theologalem, & similiter ejus qui providendus est ad Præbendam Præceptoriam, pertinet ad Episcopum, adhibito tamen Capituli consilio, ut statuit Concilium Trident. quoad utramque Præbendam sess. 5. de reform. cap. 1. §. *Ecclesia verò*, ubi per hæc verba, *Ab Episcopo cum consilio Capituli eligendum*, dilucidius explicat id quod statuerat pridem Concilium Lateranense

in cap. *Quia nonnulli*, de Magistris, hisce verbis: *A Prælo cum Capitulo, seu majori & saniori parte Capituli eligendus.* De istis quoque constituendis Præbendis sancivere Gallicana Edicta Comitiorum Aurelianensium art. 8. sub Carolo IX. & Blesensium sub Henrico III. art. 33. & 34. statutia debere Theologum ab Episcopo, vel à Capitulo provideri. Id verò quoad Capitulum necesse est intelligi de electione, quandoquidem jure communi, & seclis particularibus statutis, vel usibus, Capitula vivente præsertim Episcopo jus non habent Beneficia conferendi, cap. *Ille*, ne Sede vacant, & cap. 1. de institutionibus in 6. Quia verò dicente Apostolo, *Omnes que sua sunt quarunt, non qua Jesu Christi*, abusus passim in hoc Regno invaluit, ut his provisè Præbendis eas vel cum aliis commutent, vel cum onere pensionum resignent in eorum favorem, qui munia docendi & prædicandi vel nunquam, vel rarissimè persolvent: Meminerint quicumque sic agunt, aut agentibus favent & opitulantur, quale judicium apud Christum Ecclesiæ sponsum & animarum tremendo sanguine redemptarum zelatorem his imminet, qui sanctissimas œcumenicorum Conciliorum provisiones circa Cleri & Christianæ plebis per divini verbi prædicationem & sacrarum literarum expositionem eludunt & abolent, solo retento Theologalis Canonici nomine & stipendiis, sine spiritali usu aut fructu.

XX. Quod verò attinet ad Pœnitentiarium Ecclesiæ, ejus electio & institutio à solo dependet Episcopo, nec ullus Capituli consensus requiritur, ut censuit sacra Cardinalium Congregatio declaratione 479. quam refert & sequitur Zerola in praxi Episc. part. 1. verb. *Pœnitentiarius*, quæst. 3.

XXI. Sunt aliqui in Cathedralibus Ecclesiis Beneficarii, quos Gregorius IX. cap. *Cum ad hoc*, de Cler. non resident. vocat Assisios, & à Canonicis distinguit. Ibi verò Glossa dicit Assisios esse quosdam Beneficarios non Canonicos, sed tamen adstrictos Ecclesiæ quotidiano ministerio: non tamen vocantur ad deliberationes Capituli. Hi præterea vocantur Mansionarii. Porrò genus hoc Beneficiorum eligi solet à solo Capitulo, & si interveniat ibi Episcopus, nil amplius habet quàm unius vocalis seu Canonici suffragium. De his providè statuit Synodus Provincialis Aquensis anno habita 1585. tit. de beneficiatis, seu mansionariis. *Beneficiarius seu Mansionarius prædictæ, tam Ecclesiarum Cathedralium quàm Collegiatarum dicte Provincia, antiquioribus, & in ceremoniis & musica peritioribus Clericis Ecclesiæ & Capitulo inservientibus, adinstar Metropolitanæ Ecclesiæ, tantum conferantur.* Et quanvis sit ita provisum antiquissimis singularum Ecclesiarum statutis perpetua consuetudine firmatis, & speciatim Ecclesiæ Metropolitanæ Aquifextiensis, etiam roboratis per Bullas Martini V. & Leonis X. Pontificum, & per diploma Regis Francisci I. mensis Novembris anni 1533. contigit tamen aliquando, ut aliqui Mansionarii

affectu adducti carnis & sanguinis, suas Mansionarias in favorem coram Papa vel Legato resignare voluerint. Attamen injustæ istæ præteniones protinus repressæ sunt Supremarum Curiarum judicii, scilicet Senatus Provinciæ die Martii 18. an. 1552. item ultima die Junii an. 1632. præterea Maii 21. an. 1635. insuper mense Junio an. 1646. Cumque cavillandi & tergiversandi studio contra postremum istud Senatusconsultum sumptis literis in forma civilis libelli, ut vocant, *par lettres de Requête civile*, reclamassent, fuissetque causa ista commissa Sanctiori Regis Consilio, subsequutum est supremum post Partium contestationem Judicium, quo declarationem & sancitum est, istiusmodi Beneficia dependere omnino ab electione Capituli, neque ullum in his locum esse præventionibus. Præterea decisum, non solum astringi Mansionarios Divinis in choro Officiis, sed etiam quibusvis aliis intra Ecclesiam præstari solitis ministeris & musicis cantibus. Simulque repulsi sunt à petito stipendiorum annuorum solitorum augmento.

XXII. Jure communi quando Beneficii collatio spectat ad Episcopum & ejus Capitulum, sive conjunctim, sive divisim, altero horum negligente quod sui officii est, devolvitur collatio ad alterum, scilicet à Capitulo ad Episcopum, & ab hoc ad Capitulum, cap. 2. de concess. præbend. & cap. unico, ne Sede vacante, in 6. Jus verò conferendi semper devolvitur elapso semestri, sive quia nullatenus provisum fuit, sive quia provisum de incapaci, d. 2. cap. In Gallia tamen nulla admittitur devolutio ab Episcopo ad Capitulum, sed solum à Capitulo ad Episcopum, ab Episcopo verò ad Metropolitanum solum, ut monet Rebuffus in praxi, p. 2. tit. de devolutionib. n. 22. & 23.

XXIII. Sede vacante Capitulum Episcopo succedit, non in Ordine, sed in jurisdictione, exceptis tamen quibusdam à Jure reservatis, qualis est Beneficiorum collatio, & literarum dimissorias expeditio.

XXIV. Antiquitus Sede vacante poterat absolute Capitulum literas ad Ordines dimissorias concedere, cap. *Cum nullus*, §. *Episcopo*, de tempor. ordinat. in 6. Sed aliter providet Concilium Trident. sess. 7. cap. 10. de ref. nimirum ut anno à vacatione Sedis numerando non liceat Capitulo Dimissorias cuiquam concedere, nisi hoc solo casu, cum quis Beneficii Ecclesiastici, sive recepti, sive jam recipiendi occasione arctatur ad Ordinem aliquem recipiendum. Elapso autem vacationis anno, & necdum repleta Sede, potest deinceps Capitulum ejusmodi licentias & dimissorias literas concedere indifferenter.

XXV. Sedes verò vacat donec novus Episcopus adeptus fuerit possessionem, ut post Ostiensem, Felinum & Pisanum tradit Rebuffus in praxi, 1. p. tit. de devolutionibus, n. 72.

XXVI. Insuper Sede vacante non potest Capitulum Beneficia conferre, nec usquam invenitur cautum in Jure, quod Capitulum Sede vacante

cante fangatur vice Episcopi in collationibus Præbendarum, ut loquitur & decidit cap. *Illa*, ne Sede vacante, etiamsi essent de genere Beneficiorum, quorum collatio spectat ad solum Episcopum cum consilio & assensu Capituli, cap. *Uno*, §. *Cum vero*, ne Sed. vac. in 6. Rebuffus loco citato, n. 71. Hinc excipiuntur institutiones præsentatorum à Patronis, cap. 1. de institutione. & collationes Beneficiorum quæ conjunctim ad collationem pertinebant Episcopi & Capituli; tunc enim per Sedis vacationem jus Capitulo accrescit. Multo magis retinet Capitulum jus conferendi Beneficia, quod ei soli competeat vivente Episcopo. Potest etiam vacante Sede conferre Beneficia quæ sunt præsentis necessitatis, atque ita Mandatariis & Graduatis conferre, & nominum insinuationes, quæ per quadragesimales dies fiunt, suscipere. Quod jus collationis etiam curatarum Ecclesiarum vacante Sede Capitulis asserunt in hoc Regno Chenatius & Bengueus ex multis quæ proferunt Senatufconsultis, ut plenius retuli hujus lib. 2. cap. 2. n. 10. & 11.

XXVII. Comperti juris est, ubi collatio simul spectaret ad Episcopum & Capitulum, posse à Capitulo conferri, si contigerit obiisse, aut depositum vel excommunicatum fuisse Episcopum, sive debuisset Episcopus interesse ut Prælati, sive ut Canonicus in Capitulo, cap. unico, ne Sede vac. in 6. Rebuffus d. tit. de devolutione, n. 74. Zerola p. 1. verb. *Capitulum*, q. 5. Conferre quoque potest Capitulum vacante Sede, si collatio spectet ad Capitulum cum consensu Episcopi, d. cap. unico, in fine, ne Sed. vacante, in 6. Præterea Capitulum, dum vacat Sedes, potest Beneficia conferre quæ ad Episcopum devolverentur propter culpam aut negligentiam inferioris Collatoris. Zerola ibid. Ratio est, quia Jus non permittit devolvi jus collationis, nisi ad proximum & immediatum Superiorem, qualis non est isto casu Metropolitanus. Id ergo competit Capitulo immediate. Insuper multum interest Ecclesiæ, ne diu Beneficia vacent, ut contingeret si esset expectandus futurus in Episcopatu successor, cap. unico, in fin. ne Sed. vacante, in 6.

XXVIII. Pari ratione appellationes, de quibus Episcopus jure ordinario cognosceret, devolvuntur Sede vacante ad Capitulum, atque ita ab ipsis Episcoporum suffraganeorum judiciis provocatur ad Capitulum Metropolitanæ Ecclesiæ viduatæ. Cujus summa & generalis ratio est, quia Capitulum vacante Sede Episcopo succedit in his quæ sunt jurisdictionis, solis exceptis casibus expresso jure prohibitis. Federicus consil. 30. Panormitanus in cap. *Cum olim*, de majorit. & obed. Panvinus tract. de Capituli potest. Sed. vac. p. 1. q. 1. Rebuffus in praxi, p. 1. tit. de devolutione, n. 58. & Joannes Andreas in d. cap. *Cum olim*, testatur hunc esse communem Doctorum sensum.

XXIX. Sede vacante Capitulum confirmat, vel infirmat electiones, sicut posset Episcopus, d. cap. *Cum olim*, de majorit. & obed.

XXX. Simi.

XXX. Similiter potest Capitulum Sede vacante presentatos à Patronis Clericos admittere & instituere, sicut posset per se Episcopus, ac sine Capituli consilio, cap. 1. de institution. in 6. Si quæras discriminis causam, cur possit Capitulum instituere presentatos, & confirmare electos ad Beneficia, cum tamen non possit idem Beneficia conferre? Respondet Gloss. & Panormitanus in d. cap. *Cum olim*, causam hanc esse, quia conferre est liberæ voluntatis, sed instituere presentatum, aut confirmare electum, est necessitatis; non enim potest Episcopus rejicere presentatos aut electos, modò non sint incapaces.

XXXI. Etsi non succedat Capitulum Episcopo in iis quæ sunt Ordinis, sed in sola jurisdictione, potest tamen Episcopo committere intra viduatam diocesim ea quæ sunt Ordinis: nam committere alteri est solius jurisdictionis, non Ordinis actus. Panuinus 1. p. q. 3. Azorius tom. 2. lib. 3. cap. 37. quæst. 8.

XXXII. Potest item Capitulum Sede vacante admittere mutuas Beneficiorum permutationes & resignationes. Rebuffus d. tit. de devolution. num. 95. Zerola p. 2. verb. *Capitulum*, quæst. 7. Ratio est, quia quanvis non possit Capitulum resignationes liberè recipere & conferre, cap. unico, §. *Cum verò*, ne Sede vac. in 6. potest tamen recipere & conferre in iis quæ sunt necessitatis, ut est Beneficiorum permutatio, ad quam admittendam ipsè astringeretur Episcopus, nec posset alteri conferre: sicut paulò antè dixi de instituendis presentatis, ob eandem necessitatis rationem, & de confirmandis electis.

XXXIII. Spectat etiam ad Capitulum dum vacat Sedes, dare Ecclesiam seu Beneficium in Commendam temporalem ad sex menses, quos etiam poterit ex justa causa prorogare, donec provisus fuerit, & in possessionem missus Episcopus. Ita Panormit. in d. cap. *Cum olim*, de majorit. Innocentius in cap. *Illa*, ne Sede vacant. Ancharanus & Joan. Andreas in cap. 1. cod. tit. in 6. Rebuffus tit. de devolution. num. 77. & 78.

XXXIV. Pertinet quoque ad Capitulum Beneficiorum depositio, seu privatio à Beneficiis, Panuinus d. tract. de Capit. potest. Sed. vac. p. 2. quæst. 6. num. 1. & 2. Testatur affirmativam sententiam esse communem Azorius 2. p. lib. 3. cap. 38. q. 11. quia jurisdictionem habet Episcopalem ad puniendum facinorosos Clericos, & inquirendum.

XXXV. Potestate etiam potitur Capitulum vacante Sede dispensandi cum illegitimis ad minores Ordines, & ad Beneficium simplex habendum. Navarra consil. 7. de fil. presbyt. Zerola p. 2. verb. *Capitulum*, q. 3. Ratioque est, quia Capitulum Episcopo succedit in iis quæ spectant ad jurisdictionem ordinariam & voluntariam, nisi Canone quid excipiat: at exceptio talis in Jure non legitur.

XXXVI. Capitulum Sede vacante supplet Episcopi vices in his quæ sunt necessitatis; ideoque insinuationes nominum Graduatorum Clericorum

rum recipit, & Graduatibus & Mandatariis affectata ipsis Beneficia confert. Probus in pragmat. Sanction. tit. de collationib. §. *Item voluit*, in verb. *Vicario*: Ranchinus 3. p. conclus. 73.

XXXVII. Dum vacat Sedes, potest Capitulum eosdem omnes à casibus & censuris reservatis, sive ab homine, sive à jure solvere, quos possit vivens Episcopus absolvere, cap. unico, de major. & obed. in 6. Potest similiter excommunicare, suspendere & interdicere, quos possit Episcopus, cujus vicem gerit in rebus jurisdictionis. Panvinus loco cit. aliique communiter.

XXXVIII. Sede vacante potest & debet Capitulum intra dies octo Vicarium Generalem creare, qui in Theologia vel in Jure Canonico Doctor sit, vel saltem Licentiatas. Concilium Trident. sess. 24. cap. 16. de reform. Eadem præscribuntur Edicto Blesensium sub Henrico III. Comitiorum, quæ hoc adjungunt, Generalem Vicarium oportere esse Sacerdotem, Transactis diebus octo devolvitur hæc potestas & officium ad Metropolitanum.

XXXIX. Licet Capitulum Sede vacante potestate polleat circa canonicas pœnas per universam Diœcesim, nihil tamen habet hujusmodi potestatis Episcopo superstiti, ne in ipsos quidem, qui de suo corpore sunt, Canonicos, neque in inferiores ejusdem Ecclesiæ Beneficiarios, aut deservientes. Verumtamen jus habet prædictorum excessus corrigendi, dum id fiat sine strepitu, vel forma judicii. Atque ita potest ministros contumaces expellere: quinimò de suo corpore Canonicos, aliosve suæ Ecclesiæ Beneficiarios ex justa causa ad certum & definitum tempus distributionibus privare, & ab officio Ecclesiæ citra judiciarias censurarum formas, & citra effectum irregularitatum, quæ contumaces censurâ notatos afficiunt, suspendere, cap. *Irrefragabili*, de offic. Ordinarii, maximè ubi sic dicit: *Excessus Canonicorum Cathedralis Ecclesiæ, qui consueverunt corrigi per Capitulum*. Hoc etiam addens: *Executionem ipsorum nulla consuetudo, vel appellatio valeat impedire, nisi formam in talibus exceßerint observandam*. Conformatur cap. *Ad nostram*, de appellation. Censuras verò cuiquam infligere dum vivit Episcopus, Capitulum non potest, nisi ubi Capitulum consuetudine jam præscriptâ, vel aliquâ indulgentiâ aut concessione acquisierit in personas deservientes jurisdictionem, aut potestatem censurarum Ecclesiasticarum, ut statuitur cap. *Cum contingat*, de foro compet. In quod caput scribens Panormitanus astruit in Capitulis generatim prædictum jus moderatâ citra jurisdictionem correctionis, quale habent parentes, tutores, magistri, qui tamen jurisdictione carent. Hac ratione apud Paponem lib. 1. placitorum, tit. 3. sect. 4. Parisiensi Senatusconsulto Decanus ipse Carnotensis Ecclesiæ, qui ob contumeliam uni de Canonicis intra Capitulum illatam, fuerat ab eodem Capitulo distributionibus per dies octo privatus, & appellaverat quasi ab abusu, remissus fuit, ejusque sub-

mota, rejectaque appellatio. Non potest tamen Capitulum procedere ad incarcerationem, sed solus Ordinarius: docetque ibidem Papo sect. 3. Clericum qui ab incarceratione per Capitulum decreta appellaverat, fuisse Senatusconsulto remissum ad carceres Episcopales & Episcopi judicium.

XL. Hoc denique tenendum circa res Capituli, majorem Capituli partem, quæ in omnibus deliberationibus prævalere debet, sumendam esse (nisi contraria invaluerit alicubi consuetudo) non per comparisonem ad minores partes, sed ad totum ipsum, juxta Panormitanum in cap. *Quia propter*, de election. & in cap. 1. de his quæ fiunt à major. part. Capitul. & Bellameram decis. 275. & Zerolam p. 1. verb. *Capitulum*, quæst. 13. & Boërium decis. 3. Exempli gratiâ Capitulum constat ex duodecim Canonicis suffragii jus habentibus; horum tres eligunt Caium, alii tres Titium, reliqui sex Sempronium: nulla ex his tribus censeri potest major pars, sed ut talis sit, necesse est in unam partem consentire septem vocales. Idque ritè colligitur ex cap. *Cum in Genesi*, & cap. *Ecclesia*, de elect. Id verò locum non habet in pluribus Patronis, sive Clericis, sive laicis presentantibus, in quibus pars major spectari debet non per comparisonem ad totum, sed ad singulas partes, ut ait ibid. Zerola cum multis Authoribus, quos allegat & sequitur.



CAPUT XXV.

De Capitulari Beneficiorum provisione, Sede non vacante: & de simultanea Episcopi cum Capitulo provisione.

I. **U**RE ordinario, neque contraria consuetudine loci, vel statutis specialibus, aut concordatis, aut particularibus foundationibus abrogato, Capitula non modò Cathedralia, sed etiam Collegiata providere solent de præbendis quæ sunt de ipsorum gremio, aliquando conjunctim cum Episcopo, & aliquando divisim ab illo. Secundùm has diversitates diversos quoque Canones legimus in corpore Juris. Innocentius Papa III. in cap. *Cum Ecclesia Vulturna*, de election. refert in Tuscia generalem vigere consuetudinem, ut in Cathedralibus Ecclesiis solum Capitulum, irrequisito Episcopo, Canonicos eligendi potestatem habeat. Præterea cap. *In cunctis*, §. *Clerici*, eod. tit. loquitur de solo Capitulo eligente. Insuper Celestinus Papa III. cap. *Proposuit*, de concess. præbend. mandatum de providenda Præbenda direxit ad

ad solum Præpositum & Capitulum Cameracense. Quandoque jus devolyitur à Capitulo negligente ad Episcopum, ut provideat; & ex opposito, ab Episcopo negligente providere, ad Capitulum, cap. *Nulla*, de concess. præbend. Aliquando alternatim, seu (ut aiunt) per turnum, provisio spectat nunc ad Episcopum, nunc ad Capitulum, cap. *Cum in illis*, de præbend. in 6. Aliàs etiam jus istud soli relervatur Episcopo, cap. *Omnes Basilica*, & cap. *Nullus omnino*, 16. q. 7.

II. Ad quemcunque, sive ad Episcopum, sive ad Capitulum pertineat jus istud providendi, exercetur generaliter circa Canonicatus, d. cap. *Cum Ecclesia Vulterana*, de election. quinimò circa Dignitates Capituli quæ vacant, qualis est Præpositura, cap. *Dudum ad audientiam*, de election. Et utique communi nomine Præbendæ involvi Dignitates, Personatus & Canonicatus, docent Cujacius super rubrica de præbend. Lotterius lib. 2. de re benefic. q. 21. ubi & alios plerosque Doctores profert: item Pastor lib. 1. de benefic. tit. 9. n. 2.

III. Si quæris de Capitulorum Præbendis, ad quem jure communi pertineat earum vacantium provisio, præcis & seclusis particularibus, sive consuetudinibus, sive foundationibus, sive statutis? Respondemus juris communis dispositionem hanc esse, ut hæc potestas ad Episcopum simul & Capitulum Cathedrale, cujus Præbenda vacat, pertineat, juxta cap. finale, de supplend. neglig. Prælat. & cap. *Postulasti*, & cap. *Nulla*, de concess. præbend. & cap. *A collatione*, de appellation. in 6. Atque hoc expressè tenet Glossa in d. cap. *Cum Ecclesia Vulterana*, de elect. & Glossa in d. cap. fin. de supplend. neglig. Prælat. item Rebuffus consil. 70. & Garcias de Beneficiis p. 5. cap. 4. n. 42. Lotterius loco cit. aliique. Summa horum ratio est, quia Præbendæ præsumuntur ex communibus Ecclesiæ bonis institutæ. At nomine Ecclesiæ comprehenduntur simul Episcopus, qui capitis, & Capitulum, quod corporis vice fungitur, ut ait præclare cap. *Novit*, de his quæ fiunt à Prælat. sine consens. Cap.

IV. Hinc deducitur hæc resolutio, ut si Episcopus & Capitulum ita dissideant, ut eandem Præbendam diversis Clericis conferant, neutri ex illis jus quærat, & gesta utrimque corruant. Ita Federicus consil. 232. & Joan. Andreas in cap. *A collatione*, de appellat. in 6. Adeo ut si interim Papa, vel Legatus jure concursus provideat, teneat ista provisio, ut latè disputat & decidit Probus, & qui eum sequitur Lotterius d. lib. 2. q. 21. num. 41.

V. Docet præterea Garcias loco cit. ubi collatio Præbendarum communis est inter Episcopum & Capitulum, valere factam seorsim ab uno ex duobus, altero horum per sex menses non contradicente: pluresque ad hoc Doctores profert. Est enim semestre terminus devolutionis ab uno ad alterum Collatorem, cap. *Nulla*, & cap. *Postulasti*, de concess. præbend.


VI. In Collegiatis verò Ecclesiis inferioribus à Cathedrali, quia in

G g 2 his

his non est tanta communio, ut constituent cum Episcopo unum corpus unumque Senatum, collatio illa simultanea prætendi non potest. Proinde soli competit Capitulo collegiatio jus præsentandi, seu eligendi ad Præbendas, quæ de suo gremio sunt. Ad Episcopum verò pertinet jus instituendi, seu confirmandi. Ita docent Joan. de Lignario, & Abbas in cap. *Cum Ecclesia Viterana*, n.8. de election. & Rota Romana sic decidit apud Cassadorem decis. 21. n.2. & 3. de præbend. & Lotterius d. q.21. n.135. Sanè si tale Capitulum eligere intra semestre neglexerit, aut si incapacem elegerit, Episcopus tum demùm jure devoluti, prout sibi visum fuerit, providebit.

VII. A Capitulo cui interfuit Episcopus tanquam unus ex Canonicis, appellari potest ad ipsum Episcopum, sed non si interfuit ut Episcopus, cap. *Postulastis*, de concess. præb. & cap. *A collatione*, de appellation. in 6. ubi Glossa sapienter admonet interesse tanquam Canonicum, si statutum id præscribat, quanvis honoratiore loco sedeat: hoc enim defertur ejus dignitati. Sed ubi statutum nihil decernit, censetur interfuisse ut Episcopus, ex honoratiore sessionis loco. * Sed si Episcopus sedeat, vel subscribat sub Archidiacono aut alio Capituli Præsidente, Glossa ibidem asserit Episcopum interesse tanquam unum ex Canonicis.

VIII. Duos eventus hîc adnoto, quibus Capitulum jus suum non amisit, à quo tamen excidisse videbatur. Primus est in cap. *Ecclesia*, de institutionib. ubi Capitulum Canonicorum aliquod vacans Beneficium, in quod ei competeat jus vel patronatûs, vel collationis, personæ laicæ contulit. Super quo admonuit Papa, ut dejecto cui contulerant laico, provideant de Clerico. Alter eventus est in cap. *Transmissa*, de jurepatr. Ibi patronus laicus, aut etiam Capitulum contulerat Beneficium cujus habebat patronatum alicui Clerico: sed postmodum meliorem judicio (quantentis advertit se conferendi potestate carere) Clericum alterum Episcopo præsentavit. Quanvis Clericus ille, cui præter jus contulerat, à posteriore Capituli deliberatione appellasset, prævaluit tamen posterior Capituli deliberatio, quam Summus Pontifex suo rescripto roboravit. Unde colliges, Capitulum per utramque indebitam deliberationem jus suum non amisisse, eo quòd quamprimum agnitum errorem sponte ac ultrò purgaverit, & correxerit. Non enim præstat impedimentum (ut ibid. dicit Glossa) quod de jure non sortitur effectum.]



CAPUT XXVI.

Beneficiariorum heredes aut successores ad quid teneantur.

I. **E**XAMINANDÆ primùm hinc sunt obligationes ejus qui in Beneficium successit, deinde heredum Beneficarii. Sciendum in primis, successorem qui super suo Beneficio inquietatur propter defectum vel incapacitatem ejus cui successit, non teneri sui præcessoris jus tueri, ejusve titulum exhibere, nisi dolus & collusio inter utrumque probaretur, aut de jure præsumeretur, qualis præsumitur si post litem contestatam præcessor resignaverit. Sed citra fraudem non tenetur succedens Beneficiarius de præcessoris defectu, licet talis fuisset, ut potuisset ejus Beneficium canonicè impetrari dum possidebat. Felinus in cap. *Venerabilem*, de exception. Laurentius Bouchellus in praxi benef. verb. *Permutatio*. Ratio fundamentalis est, quia non per resignationem, sed per collationem jus in Beneficio attribuitur, cap. *Si tibi absenti*, de præbend. in 6. & Clement. unica, §. *Porro*, de præbend. Itaque provifus non habet jus suum à resignante cui succedit, sed ab ipso collatore.

II. Verumtamen successor in Beneficio tenetur illa præcessoris sui debita solvere, quæ pro Ecclesiæ necessitate contraxit, ut decernit cap. *Ad hoc*, de solution. Sicut enim hæres succedit in universum jus defuncti, l. *Hereditas*, D. de regul. jur. ita successor præcessori succedit in universum Ecclesiæ seu Beneficii jus, cap. *Relatum*, il 2. §. *Nomine*, de testam. & similiter æquiparantur quoad solvenda debita (sicut hæres & defunctus) à præcessore contracta, ut ibid. dicitur. In his tamen notanda hæc differentia, quia hæres tenetur defuncti debita exsolvere qualitercunque contracta: sed succedens in Beneficium non ad alia tenetur, quàm quæ contractit præcessor pro Ecclesiæ necessitate, aut utilitate. Licet autem Innocentius in d. cap. *Ad hoc*, requirat præterea ut probetur versum esse in Ecclesiæ utilitatem, textus tamen id unum requirit, ut contractum fuerit debitum in Ecclesiæ necessitatem. Et Ostiensis in tit. de solution. num. 3. & Prosper Fagnanus in d. cap. *Ad hoc*, melius dicunt, non requiri ut ipsa versum sit in utilitatem Ecclesiæ: atque à paritate rationis probari potest per legem *Lucius*, D. de exercitor. act. Allegatque Fagnanus complures hujus sententiæ Doctores, additque hanc oppositam Innocentio sententiam esse inter Canonistas communem.

Gg 3.

III. His.

III. His adjuget, quod si Prælatus debita quædam pro sui sustentatione contraxit, tenetur successor illa persolvere, cum teneatur Ecclesia Prælato suo alimenta suppeditare, cap. *Cum secundum Apostolum*, de præbend. Ita post Panormitanum, aliosque permultos docet Fagnanus, addens hoc ita judicatum in Romana Rota fuisse in causa Caurientis Episcopi, quem damnavit ad similem solutionem pro prædecessore Episcopo.

IV. Successor itidem in Beneficio solvere tenetur pensiones tempore prædecessoris decursas, nec tamen solutas, d. cap. *Ad hoc*, & ibi Fagnanus n. 12. & seqq. modò pensionarius probet diligentias à se contra prædecessorem factas, ejusque hæredes; & modò remaneat successor congrua portio, quæ in primis & ante omnia deduci debet. Eadem docet Pastor lib. 3. tit. 12. & Garcias 1. p. cap. 25. Sic enim novus possessor vectigalia quoque temporis antea præstare compellitur, l. *Imperatores*, D. de publicanis, & cap. 1. de solutione. Sed si hæredes solvendo sint, hi primariò tenentur, ut superiùs jam notavi.

V. Quod verò attinet ad Beneficarii hæredes, receptum jus est, ut fructus Beneficii, sive jam percepti, sive percipiendi, dividantur inter hæredes simul & successores in Beneficio, eadem ratione quâ Jus Civile constituit dividi fructus dotales inter maritum & uxorem, soluto matrimonio, eorumque amborum hæredes. Ut nimirum fructus ultimi anni ea sola parte marito adjudicentur ejusque hæredi, quæ parti anni equiparatur quâ ipse sustinuit onera matrimonii; reliquum autem uxori, l. *Fructus*, D. solut. matrim. quemad. dos per. Est quippe insignis convenientia inter conjugium corporale & spirituale, & inter amborum onera, cap. 2. de translat. Episc. Sic igitur fructus ultimi anni possessi Beneficii competunt inter successorem Beneficii, & hæredem defuncti, pro rata temporis intra eundem annum computati, quo defunctus onera sustinuit Beneficii. Reliquum verò, etiamsi jam ab hærede perceptum esset, restituendum est successorì Beneficii. Itaque si defunctus possedit Beneficium ejusque onera sustinuit quarta parte postremi anni, hæres ejus reportabit quartam fructuum ejusdem anni partem, reliquum verò fructuum successor in Beneficio sibi vindicabit. Alioqui enim hoc iniquum sequeretur, ut qui de Beneficio fuisset provisus, & in possessionem immisus mense Junio, & sequentibus mensibus omnes ejusdem anni proventus & decimas percipisset, eisque perceptis, si mense Octobris decederet, cogeretur ejus successor eodem Octobris mense per obitum, aliterve provisus toto anni residuo deservire sine ullis fructibus, cum ejus præcessor, qui ne anni quidem medietate deservisset, totius anni fructibus potitus esset, quibus ejus etiam hæredes indebitè potirentur. Bleinianus in praxi benefic. tit. de patrimon. Eccles. permultas ad hoc firmandum auctoritates, & Tribunalium decisiones allegat. Idemque docent Covarruvias lib. 1. var. resolut. cap. 15. num. 12. Chopinus lib. 3. de sacra politia, cap. 1. n. 33. Louetus

Louetus lit. F, num. 12. Joan. Baquet tract. de just. & jure, cap. 15. num. 60.

VI. Rursus quaeritur in dividendis illis pro rata temporis fructibus, à quo tempore annus sit inchoandus? Respondeo à mense Januario, ut ex multis Senatusconsultis docent & probant Chopinus, Louetus, & Baquet locis citatis, & Bengueus tit. de peculio Clericorum, §. 19. num. 9. 10. 11. Annæus Robertus lib. 3. rerum judicatorum, cap. 4. Papo lib. 18. placitorum, tit. 4. art. 11. At verò jus commune statuit ut œconomus constitua- tur, qui vacantis Ecclesiæ fructus percipiat, eosque futuro successorì re- servet, cap. *Cum vos*, de offic. jud. ordin.

VII. Opponet aliquis, Beneficiarium quæ de fructibus supersunt te- neri non modò ex charitatis officio, sed etiam ex lege justitiæ ad pias causas erogare. Unde sequitur omnes fructus qui post ejus obitum super- sunt, non posse ad hæredes transmitti, sed ad Ecclesiam vel pauperes dumtaxat, & oppositam consuetudinem meram esse corruptelam: quod etiam constanter affirmat Navarra in suo libello de redditibus Eccles. tota quaest. 3. His respondendum cum Azorio p. 2. lib. 7. cap. 9. hanc legem non esse Divino aut Naturali Jure introductam, sed Ecclesiastico, ac proinde posse ac potuisse contraria consuetudine aut Ecclesiæ dispensatione solvi ac remitti: Neque verum esse quod scribit Navarra, oriri hanc obliga- tionem ex pacto vel obligatione cum fundatoribus inita, ut subductis ad Clerici modestum victum necessariis, reliquum omne in Ecclesiam vel egenos impenderetur. Non enim convinci potest aliquid tale à fundatoribus fuisse vel cogitatum, nedum in pactum adductum. Præsumendum quidem est, noluisse illos, ut foundationum redditus luxui Clericorum in- servirent; non tamen voluisse adstringere ad hoc officium ulla obligatio- ne nova, vel conventionione supra Dei legem communem: quemadmodum testator nequaquam intendit ab hærede suo dissipari opes hæreditatis; si tamen contingat eas ab hærede per luxum dissipari, non idèò peccat hæ- res contra justitiam, nec restituere dissipata tenetur; quia scilicet illa tes- tatoris præsumpta intentio non fuit in pactum aut conditionem deducta. Minimè tamen excusandi sunt Beneficarii sic abutentes à mortali delicto, & damnationis apud Deum reatu. Esto enim sint reddituum Ecclesiastico- rum domini, attamen hujus domini usus debet ex pietatis & charitatis obligatione regulari, tamen non lege (ut objiciebatur) justitiæ, aut mutæ conventionis cum fundatoribus inita: & qui in superflua impen- dit, indubiè violat Dei intentionem, quatenus à nobis officia charitatis exigit; quemadmodum in Divite epulone observat Chrysostronus, eum fuisse damnatum, non quia aliena usurpaverit contra justitiam, sed quia suas opes malè impendit, nec pauperibus opem tulit, contra charitatem. Et insuper peccat talis Beneficiarius contra intentionem præsumptam fun- datorum, & contra Ecclesiæ sacros Canones; & tantò gravius peccat
quàm

quàm Dives epulo, quia iste profanas opes, Beneficiarius autem dissolutus aut avarus sacras opes malè expendit, aut malè retinet, & adeptis sibi per Ecclesiæ beneficium bonis, contra ipsius Ecclesiæ intentionem abutitur. Sic verò abutentis valida quidem est secundum justitiam dispositio, propter dominium; sed tamen illicita & damnabilis sic abutenti: sicut laicus in luxum opes suas prodigens validè alienat, nec tamen inmundis est à peccato & damnatione.

VIII. An igitur peccent hæredes dum oblatos sibi, sive jure consuetudinis ab intestato, sive ex Beneficarii testamento fructus istiusmodi recipiunt? Respondeo, si ipsi testatorem ad hoc induxerint, non est dubium peccasse, dum rem suaserunt illicitam, quam ille testator sine mortali culpa exequi non potuit. Sed si iidem spontè oblata recipiunt, ante trecentos & amplius annos consuetudine constanti observabantur Canones, qui vetant Clericis de bonis ex Beneficiis acquisitis, sive inter vivos, sive per ultimas voluntates aliter quàm ad pias causas disponere. At subsequenti disciplinæ sacræ relaxatione factum est, ut promiscuè Clerici de his sive inter vivos, sive testamento disponant ad libitum, perinde ac de patrimonialibus: quinimò ut si intestati decedant, vocentur proximi agnati ad hujusmodi bonorum successionem. Cui praxi sese accommodantes Summissæ, fatentur quidem Clericum sic disponentem peccare mortaliter, nec licitum esse agnatis eosdem ad sic disponendum sollicitare, quia hoc agentes suadent Clericis ut mortaliter peccent, quod aeterna & indispensable lege vetitum est. Hæc docent Covarruvias de testamentis in cap. *Cum in officiis*, num. 9. Lessius lib. 2. de justitia, cap. 19. dub. 4. num. 44. & seqq. Bonacina de contractib. disp. 3. q. 17. pact. 2. num. 4. aliique communiter. His tamen adversantur Sacri Canones, qui opes & proventus Ecclesiasticos non aliis quàm pietati, sive ad Dei cultum, sive ad inopum sustentationem, deductis Clericorum victui necessariis, impendi licere asseverant. Vide in Decreto causam 12. per totam. Et sapienter dicit S. Augustinus epist. 50. ad Bonifacium Comitem: *Si privatim qua nobis sufficiant possidemus, non illa nostra sunt, sed pauperum, quorum procuracionem quodammodo gerimus, non proprietatem nobis damnabili usurpacione vendicamus.* Atque in Decretalibus vide cap. 1. cap. *Filius*, cap. *Cum in officiis*, cap. *Quia nos*, de testamentis. Secundò quia quæ fuerunt onera & obligationes defuncti, transeunt ad hæredes, & in ejusmodi una & eadem persona censentur defunctus & hæres, idemque jus subire compelluntur; & is qui in jus succedit alterius, eodem quoque jure uti debet, cap. *Is qui*, de reg. jur. in 6. & l. *Qui in jus*, D. eod. Igitur quæ obligatio adstringit Clericum Ecclesiasticos fructus impendere ad officia pietatis, eadem adstringit ejus hæredem. Tertio quia res quælibet ad quamcunque personam transeant, simul cum suo onere transeunt, cap. *Ex literis*, de pignorib. & l. *Si debitor*, C. de distract. pign. & l. *Alienatio*, D. de contrah. empt. At fructibus Ecclesiæ cohæret

cohæret destinatio ad pietatis opera : igitur eadem transmittitur destinatio & onus ad hæredes , quemadmodum obligatio restituendi , quæ usurario inhærebat , transit ad ejus hæredem , in quantum ad ipsum de bonis defuncti pervenerit , cap. *Tua nos* , de usur. Concludendum itaque , posse quidem hæredes ad quos fructus Beneficii pervenerint , illa retinere , quæ defunctus Clericus poterat ex Canonum permissu ad suos hæredes transmittere , sive ex titulo retenta rationabilis compensationis sibi Clerico debita , aut officiosæ mercedis intuitu , aut etiam titulo pietatis & eleemosynæ , si hæredes eorumque familia egestate premantur. Potest insuper , quanvis commodus & dives hæres , sibi illa retinere , quæ defunctus parciore victu , cum licuisset plura inculpatè expendere , sibi coacervaverat , aut quæ intuitu laboris proprii suo dominio , suæque liberæ dispositioni comparaverat , ut sunt emolumenta distributionum , Anniversariorum , Missarum , administrationis Sacramentorum , aut verbi Dei. At reliquos extantes fructus Ecclesiasticos tenetur hæres lege conscientie ad pietatis opera providè distribuere , obligatione si non justitiæ , certè charitatis. Nec tamen dixerim hæredem statim debere exequi istas omnes ad pietatis opera distributiones , alioqui enim sese gravi rerum propriarum damno exponeret , quando ex postfacto repeterentur ab eo diversa defuncti debita quæ ignorabat , & sic post effusas in Ecclesiam & pauperes facultates hereditatis , novas expensas de propriis bonis sustinere cogeretur circa postmodum emergentes hereditatis lites & impensas litium. Igitur hac in re neque sibi adblandiendo , neque etiam sibi damna indebita arcessendo , quod sanè iniquius esset , potest hæres sibi cavere judicio probi & prudentis consilarii , atque aliquas cateroqui debitas ad pia opera distributiones in tempus futurum differre.

I X. Quenam verò sit Angelici Doctoris sententia , perspicuum est 2. 2. quæst. 185. art. 7. ubi duplicem adducit bonorum , quæ Episcopus habere potest , distinctionem , scilicet bonorum propriorum , & bonorum Ecclesiasticorum : de propriis seu patrimonialibus dici posse Episcopum illa sibi retinere , vel aliis pro libito elargiri , De bonis autem Ecclesiasticis sic distinguit , facta divisione quatuor partium reddituum Ecclesiasticorum , qui juxta can. *De redditibus Ecclesie* , 12. quæst. 2. debent unà cum oblationibus Fidelium distribui in quatuor , scilicet in partem Episcopi , in alimoniam ministrorum Ecclesie , in fabricam & cultum Ecclesie , & in alimoniam pauperum : & eo casu si Episcopus retineat sibi aliquid de iis quæ destinata erant ad tres reliquas partes , concludit S. Thomas , Episcopum & peccare mortaliter , & teneri ad restitutionem : vel tres aliæ partes legitimè , & sine fraude fuerunt iis quibus debebantur attributæ , ita ut Episcopo nihil amplius supersit ultra debitam sibi Ecclesiasticam portionem ; & huic membro distinctionis S. Thomas immediatè subjungit hæc verba : *De his autem quæ sunt specialiter suo usui deputata , videtur esse eadem*

H h ratio

ratio quæ est de propriis bonis, ut scilicet propter immoderatum affectum & usum peccet quidem si immoderata sibi retineat, & aliis non subveniat, sicut requirit debitum charitatis. Cum verò omnis distinctio fieri debeat per oppositas differentias, non alia hinc intelligi potest differentia quam oppositum membri contradistincti, in quo Episcopus sibi contra justitiam usurpat de portionibus quæ aliis Clericis sibi inferioribus ac subditis, & fabricæ atque cultui Ecclesiæ, & pauperum subventioni destinatae erant: ad quod membrum dixit S. Thomas, Episcopum peccare contra bonam fidem, quod idem est ac contra justitiam: in hoc autem altero membro ait S. Thomas, peccare contra charitatem. Item in illo deteriore & opposito bonæ fidei membro dicit, Episcopum ad restitutionem teneri. Ergo in hoc altero minus culpabili membro, in quo dixit Episcopum peccare contra debitum charitatis, inferendum necessariò est istud oppositum, quod eo casu Episcopus non teneatur obligatione restituendi; quod etiam satis significatur his ejus verbis: *Sicut requirit debitum charitatis*. Certum enim est, obligationem restituendi non sequi debitum charitatis, sed tantum debitum justitiæ. Eiusdem Doctoris Angelici mens non minus limpide effulget ibid. in resp. ad 2. his verbis: *Et ideo si de eo quod usui Episcopi, vel alicujus Clerici est deputatum, velit aliquis sibi subtrahere, & consanguineis vel aliis dare, non peccat, dummodo illud fiat moderate*. Illa verò sibi facta subtractio, de qua loquitur, non est intelligenda de superfluis reddituum Ecclesiasticorum; constanter enim tenendum ex ipsius Ecclesiæ mente & communi omnium Orthodoxorum Doctorum sensu, peccare damnabiliter Clericum, qui de ejusmodi superfluis aliter quam ad pias causas disponit, quanvis restituere non teneatur. Sed iste Sancti Thomæ locus intelligendus est de eo quod Clericus suo congruo & decenti victui subtraxit partem vivendo, cum liceret ei sine labe saltem mortalis culpæ circa se impendere.

X. Hæredes tenentur primariò pensiones Ecclesiasticas exsolvere, quas debuit, & non solvit defunctus Beneficiarius, ut tradunt Louetus lit. A. num. 15. Faber Cod. de Sacros. Eccles. definit. 86. alique communiter contra Garciam 1. part. cap. 25. Prima ratio est, quia pensionarius non habet jus ullum in Beneficio, sed in solis fructibus Beneficii. At verò successor in Beneficio nullam contraxit obligationem circa pensiones quæ suam provisionem antecesserunt, neque (ut alibi probavimus) suum mutatur jus ad Beneficium à suo prædecessore, qui tantummodo potuit se abdicare Beneficio, sed nullatenus in alterum transferre, sicut potuit suam transferre hereditatem. Itaque successor non aliunde jus in Beneficio habet quam à Collatore, neque tenetur ad præcedentia sui præcessoris debita, quæ non fuere ad Ecclesiæ utilitatem contracta, cap. 1. de solutione. Secunda ratio est, quia quælibet actio ad hæredem & adversus hæredem transmittitur, l. *Veteris*, & lult. Cod. de contrahend. & commit. stipular. & l. unica, Cod.

Cod. ut actiones ab hæred. & contra hæred. incipiant. Præterea ex defuncti contractu vel quasi contractu hæres indistinctè tenetur, l. *Ex defuncti*, Cod. de action. & obligat. & l. *Ad ea*, §. *In Contractibus*, D. de re judic. Frustra verò Garcias adducit legem *Imperatores*, D. de publicanis, in qua novus possessor solvere cogitur vectigalia temporis anteacti. Sed ea lex loquitur de meris realibus oneribus; hic autem quæstio agitur de onere personali conjunctim & reali, quod non aliter personam afficit, nisi quatenus rem possidet. Præterea jura Fisci certis quibusdam privilegiis & severitatibus fulciuntur, quæ non sunt in consequentiam trahenda rerum privatarum. Nec minus frustranea objectio erit cap. 1. de solution. quo damnatur successor in Beneficio persolvere debita prædecessoris pro Ecclesiæ necessitate contracta. Ad hoc enim est duplex responsio: & prima est, quia pensio privata nullatenus dici potest contracta pro necessitatibus, sed potius in detrimentum Ecclesiæ, quæ sic oneratur. Secundò, quia tempore illius Canonis nulli poterant esse defuncti Beneficarii hæredes circa bona de Ecclesiâ percepta, nisi ipsamet Ecclesiâ, ut paulò ante ostensum est: nunc verò succedunt ubique hæredes cognati, tam ab intestato, quam ex testamento, in ipsas etiam facultates ac opes, quas Beneficiarius ex propriis Beneficiis consequutus fuit; & in hoc ipso tota fundatur præsens quæstio, an hæredes teneantur, an successor in Beneficio? Hæredum tamen defectu poterit intentari adversus successorem Beneficarium subsidiaria actio.

X I. Ob eandem pariter rationem tenentur hæredes reparationibus & ornamentis Ecclesiæ, quæ contribuere debuit, & neglexit defunctus Beneficiarius; ad hæc enim hypothecæ subjiuntur bona defuncti ad suos translata hæredes. Quod jus firmatum fuit Senatusconsultis à Loueto & Scholiaste Brodeco relatis lit. R, num. 5.

X II. Quanvis Glossa in cap. fin. ne Prælati vices suas, scribat successorem in Beneficio non teneri stare locationi prædecessoris sui, æquius tamen esse docet Renatus Chopinus lib. 3. de sacra Politia, cap. 7. num. 6. ut teneatur stare, modò exinde nihil damni sustineat. Idque confirmat placito Curia Parisiensis die 14. Augusti 1574. itemque autoritate Baldi in l. *Subemus*, Cod. de sacrosanct. Eccles. Et verò qui in alterius locum succedit, eodem jure, quo ille, uti debet, cap. *Is qui in jus*, de regul. jur. in 6. & l. *Qui in jus*, D. eod. tit. Idemque Chopinus num. 7. contra Ruzem opinantem in lib. Privilegiorum Regaliæ, privil. 30. Ecclesiasticas locationes à defuncto Episcopo contractas rescindi posse ab Oeconomo Regaliæ, propugnat in oppositum, non posse rescindi: Oeconomus enim constante Regaliâ debet custodire, sed non immutare sacra reconomia statum, cum sit instar curatoris bonis dati, cui pactitiam fundi conductionem non licet convellere, nisi fraudulenter contractam esse appareat: profertque Parisiense Senatusconsultum mensis Augusti anni 1568. secundum


H h 2 condu

conductorem Episcopalem molendini Divi Clodoaldi. Alias enim deciperentur conductores auctoritate Juris: quod fieri iniquum est, l. 1. Cod. de his qui veniam ætatis impetr. Traditque Rebuffus de alienatione rerum Ecclesiæ, num. 62. veteres colonos, ubi Ecclesiæ nihil damni sustinet, novis esse præferendos: idque firmat Senatusconsulto Parisiensi anni 1528. die 26. Martii.



CAPUT XXVII.

De Ecclesiarum structuris & reparationibus: & de Aedituis sive Matriculariis.

I.  RIMIS Ecclesiæ seculis ea viguit consuetudo, ut ex illius redditibus quarta pars Episcopo cederet, ipsius personæ & familiæ, atque hospitalitatis officiis impendenda: altera pars inter Clericos ad victum distribueretur: pars alia in pauperes & viduas erogaretur: altera demùm portio fabricis & decori Ecclesiarum destinaretur, can. *Concesso*, can. *Quatuor*, can. *De redditibus*, can. *Cognovimus*, & can. *Mos est*, 12. quæst. 2. Nunc verò pro locorum diversitate variæ consuetudines circa obligationes contribuendi ad fabricam Ecclesiæ invaluerunt.

II. Laurentius Bochellus Scholiastes magnæ Collationis Constitutionum Regum Franciæ, ad lib. 1. Collationis, tit. 5. §. 24. scribit usu esse receptum in Gallia, ut non solum Episcopi & Abbates propriis Ecclesiis, sed ipsi etiam Parochi & Rectores teneantur singuli contribuere ad propriarum Ecclesiarum fabricam & reparationem, si modò ipsi quoque redditus copiosos percipiant: & ad hoc multa profert Curiarum Regni Judicata. Id confirmant prisca Constitutione Caroli Magni, inserta in dicto lib. 1. Collationum, tit. 5. §. 9. desumpta ex ejusdem Capitularii libro 5. cap. 146. ubi statuitur, debere Beneficiarios qui decimas de frugibus aut animalibus percipiunt, aut qui censibus Ecclesiæ perfruuntur, contribuere suarum Ecclesiarum operi & instaurationi. His conforme est Jus Commune in cap. 1. de Eccles. ædificand. *Quicumque Ecclesiasticum Beneficium habent, omnino adjuvent ad recta Ecclesia restauranda, vel ipsas Ecclesias emendandas.* Item cap. *De his, eod. tit. De his, qui Parochiales Ecclesias habent, duximus respondendum, quod ad reparationem & institutionem Ecclesiarum cogi debent quum opus fuerit, de bonis que sunt ipsius Ecclesiæ, si eis supersint, conferre, ut eorum exemplo ceteri invitentur.* Hic observa verba ista, *Si eis supersint;* quia si Parochi solam habeant congruam portionem, aut parum quid ultra

eam

eam, nullatenus tenentur. Denique in Concilio Arelatenfi sub Leone Papa III. regnante Carolo Magno, statuitur can. 25. ut Beneficium Ecclesiasticum habens, ad reſta ipſius Eccleſiæ reſtauranda, vel ad ipſas Eccleſiās ædificandas omnino adjuvet. Denique hoc idem fancivit Henricus III. Ediſto anni 1586.


III. Nec verò ſoli Beneficiarii, ſed etiam ipſi Parochiani, quorum utilitati conſulitur, in partem horum contribuere tenentur, ut decernit Concilium Trident. ſeſſ. 21. de reformat. cap. 7. Idque innumeris iudicatum eſt Galliæ Senatusconſultis, quæ referunt Charondas, Mornacius, Expillius & Deſpeſſeus de Benef. Eccleſ. tit. 9. ſeſt. 12. Quin etiam præfatum Henrici III. Ediſtum eximit Beneficiarios à majoribus Eccleſiarum reparationibus & ſtructuris, niſi ipſorum culpâ & notabili negligentia ruinæ contigiſſent.

IV. Communior Gallicani Regni uſus multis Iudiciis confirmatus, quæ referunt Charondas lib. 1. Reſponſorum, cap. 57. Antonius Bleinianus lib. 1. Prax. Benef. tit. 1. ad fin. hic eſt, ut Eccleſiæ chorus, ubi ſunt Clericorum ſedilia, ab ipſis Clericis; navis autem à laicis debeat inſtaurari, niſi fortè alicubi diverſa vigeat conſuetudo vel ſtatutum. Et quia plures eſſe poſſunt, quorum interſit Eccleſiam vel ejus chorum reparari, docet ibi Bleinianus incipiendum eſſe à Curatis ſeu Rectoribus percipientibus fructus decimarum, ut pro rata reddituum contribuunt, niſi ſint Curati, aut Vicarii amovibiles, aut tenues eorum redditus congruam ſuſtentationem non excedant: his diſcuſſis, Prælatos quibus illæ ſubjiciuntur Eccleſiæ, eſſe ſecundo loco compellendos; qui enim ſentiunt emolumentum, onus pariter ſentire debent. Denique tertio loco Parochianos, aut oppidi communitatem, quoties largæ requiruntur expenſæ, ſive ad ædificandam, ſive ad reparandam Eccleſiæ ſtructuram: ad minores autem impenſas laici non ſunt adigendi. Multis locis, atque adeò in hac Narbonenſi provincia conſuetudo habetur, ut Eccleſiæ ædificandæ & inſtaurandæ tertiam partem contribuunt Eccleſiaſtici, reliquas duas Populus. Hic uſus aliquatenus accommodatur uſui, quo ſtructura vel reparatio chori ſpectat ad Clerum; navis autem, quæ ut plurimum duplo chorum excedit, ad Populum.

V. Structura quoque & inſtauratio domus habitationis Parochi ad Populum ſpectat, cujus intereſt, quique participat Sacramentis, ut plerisque ſtatutum fuit Senatusconſultis apud Expillium, Chenutium & Deſpeſſeum dicta ſeſt. 12.

VI. Ad Eccleſiarum fabricam & cultum pertinent Æditui, quos vulgus Matricularios vocat, quorum confraternitates & ſodalitia poteſtati ac directioni Ordinariorum ſubjiciuntur. Pecunia quippe quam Fideles pro Eccleſia contribuunt, ſacra eſt, & à profanis impenſis aliena. De hac mentio fit lib. 4. Regum, cap. 12. & 22. & lib. 2. Machabæorum, cap. 3.

& apud Sozomenum lib.8. Eccles. Histor. cap.12. Concilium Tridentinum sess.22. de reformat. cap.9. statuit hujus pecuniæ rationes coram Ordinario, aut eo quem Ordinarius commiserit, esse reddendas. Idemque sancitum Francisci Edictis Caroli IX. Blesis 3. Octobris an.1571. & Henrici IV. 16. Martii an.1609. & Ludovici XIII. Turonibus 4. Septembris an.1619. quo etiam Edicto districtè vetatur Judicibus Regiis, ne se his rationibus immisceant. Triæ Regiæ hæc Edicta inserta sunt integra ad finem Codicis Henrici.



CAPUT XXVIII.

Beneficiaria aliquot quæstiones elucidantur.

I. **I**N primis quæritur, quibus in impetrationibus necesse sit mentionem facere omnium Beneficiorum, quæ quis possidet? Respondeo faciendam esse coram Papa aut Legato, quoties aliquis intendit obtinere rescriptum ad aliquod Beneficium: alioqui rescripta, utpote obreptitia, erunt invalida, cap. *Si proponente*, de rescript. in 6. Quin etiam ab ipsis in Curia Romana permutantibus Beneficia mentio fieri debet aliorum omnium Beneficiorum quæ permutantes possident, juxta Rotæ decis. 15. de rescriptis, aliàs 622. in antiquis. Atque ita in Gallis pluries judicatum referunt Joannes Galli, Louetus & Bleinianus lib.3. prax. benef. cap.1. num.32. Hujusmodi porrò Beneficiorum expressiones non exiguntur apud Ordinarios, Clement.2. de offic. Ordinar. Ratio est, quia Ordinarius ex officio scire debet Diocesis suæ Beneficia, & à quibus possideantur. Idem censendum de Patrono. Atque in universum in aliis quibuscumque, excepto Papæ & Legato, non est necesse reliquorum Beneficiorum in impetrationibus meminisse. Quinimò neque apud Papam & Legatum, quoties ipsi non ex præcedenti supplicatione, sed motu proprio conferunt, cap. *Si motu*, de præbend. in 6. Hunc tamen expressionis debitæ defectum reparare potest apposita in rescripto clausula:

Alia quæcumque Beneficia pro expressis habentes.

II. Quæritur præterea, utrum pensiones Ecclesiasticæ Beneficiis impositæ pro Beneficiis habeantur, ita ut harum quoque necessaria sit expressio? Respondeo, si pensio sit perpetua, id est ad vitam pensionarii, diversimodè sentiunt Doctores. Rebuffus sibi ipsi oppositus tract. de pacif. possess. num. 133. hanc ponit conclusionem: De pensione quæ finitur cum persona, non est ponenda mentio in Beneficii impetratione; secus si pensio transferatur de persona in personam, hoc est, si à Papa sic decernente

nente (qui est in Romana Curia usus non infrequens) mortuo pensionario transferatur ea pensio in alium superstitem Clericum ; quia eo casu pensio videtur naturam induere beneficii. Et tamen ibid. addit, quamlibet pensionem, quæ est ad vitam suscipientis, vicem tenere Beneficii, ideoque faciendam esse illius mentionem in impetratione Beneficii, nisi hic defectus suppleatur in literis per clausulam istam, *pro expressis habentes*. Plerique Doctores tradunt pensionem non modò non esse nomine Beneficii comprehendendam, sed esse jus temporale & profanum : quam opinionem esse omnibus Juris Canonici Interpretibus communem, asserit Azorius p. 2. lib. 8. cap. 5. quæst. 4. & 6. & Gambarus lib. 6. de officio & potest. Legati, num. 633. qui & testatur sæpius in Rota judicatum fuisse, pensionem rem esse profanam. Idque constat ex Rotæ decif. 425. in novis, p. 1. Item Ancharanus, Cardinalis Imola in Clem. 1. de supplend. neglig. Prælat. Gargas quoque de pensionibus, quæst. 7. num. 2. & quæst. 16. num. 1. & quæst. 99. num. 7. pro quo allegat Baldum, Felinum, & alios. Item Aufrerius in decisionibus Capellæ Tolosanae, quæst. 472. Caterùm Azorius loco cit. censet in fine, verum esse, quod pensio sit jus rei spirituali annexum : tum quia ex Beneficii fructibus deducitur : tum quia solis Clericis indulgetur : tum quia ad eam requiritur Papæ approbatio, sive ut constituatur, sive ut redimatur ac extinguatur, sive ut transferatur in alium : tum quia per subsequens matrimonium extinguatur : tum quia de pensione quoque solvitur annata : tum quia ubicumque recepta est Bulla Pii V. pensionarius, si aliunde non est adstrictus magno Breviarii officio, tenetur recitare quotidie parvum Beatissimæ Virginis Officium, cujus omissione non facit fructus suos. Quid juris olim de pensionibus fuerit, nihil moror. Sed post Pii V. Bullam editam anno 1571. quæ incipit *Ex proximo*, quæ in Galliæ Regno usu viget, censeo pensiones clericales, tametsi propriè Beneficia non sint, esse tamen sacras ac spirituales, & sufficientem simoniæ materiam ob supradictas rationes. Ita Suarez tom. 1. de religion. lib. 4. cap. 26. num. 9. Valentia tom. 3. disp. 6. q. 16. punct. 3. Bonac. de simon. disp. 1. quæst. 4. §. 13. num. 4. Jacobus Grassius tom. 1. lib. 1. p. 50. num. 12. hoc addens, simoniam in pensione clericali non inducere excommunicationem, quia pensio non est beneficium.

III. Etsi autem pensio per multa illa, quæ dixi, communia habeat cum Beneficio, non tamen appellatione Beneficii continetur : quam sententiam amplectitur Azorius loc. cit. quæst. 4. aitque omnibus communem esse Doctoribus, quoniam sicut usufructus est quoddam jus à proprietate distinctum, sic & pensio à Beneficio : & sicut usufructus morte usufructuarii finitur, §. *Finitur*, Institut. de usufruct. sic & pensio morte pensionarii. Item quia Beneficium datur primariò & per se propter Divinum Officium & Sacrum Ministerium ; pensio verò in vitæ subsidium & commodum temporale, quod est quid profanum. Verumtamen ad cautius agendum,

agendum, & ad evitandos omnes litium anfractus & prætexus tergiver-
sationum, consultius erit ad impetrationem Apostolici pro Beneficio re-
scripti, non solum Beneficia quæ quis possidet, sed etiam pensiones super
Beneficiis recensere; quanvis id secundum Jus exactius non sit necessa-
rium, nisi ad obtinendum rescriptum in forma pauperum; quia tunc agi-
tur de informatione circa vitæ subsidia. Disertè ait caput *Quanvis plenissi-
ma* 4. de præbend. in 6. pensionem non comprehendit sub nomine Bene-
ficii. Nec obstat aput *Ad audiendam*, il 2. de rescript. ubi is qui literas
Papæ impetraverat ad aliquod Beneficium, huic renunciavit acceptâ pro
Beneficio pensione: deinde alterum obtinuit rescriptum pro alio obtinendo
Beneficio, à quo tamen idè excluditur, quia in hoc secundo non fecit men-
tionem priorum literarum. Nec etiam obstat Glossâ in cap. 1. de rescript.
verb. *Mandatum*, sub finem. Nam dictum caput, & dicta Glossâ invalidum
dicunt secundum rescriptum, non ob reticentiam pensionis, sed ob reti-
centiam præcedentium literarum de conferendo Beneficio. Præterea illa
obtentâ pensio erat fraudulenta, & jure præhibita, & præter intentionem
ipsius Papæ, ut expressè ait Glossâ in d. cap. *Ad audiendam*, verb. *Pensio-
nes*. Atque ita justa causa erat privandi pensionarium jure secundi rescripti,
eo quòd abusus fuisset priore, quod tacuerat, rescripto. Quia privilegium
meretur amittere is qui concessâ sibi abutitur potestate, cap. *Tuarum*, de
privilegiis.

I V. Itaque ubi agitur de obtinendo Beneficio per rescriptum in forma
pauperum, hoc est ut impetretur à Sede Apostolica mandatum provisionis
de Beneficio, fundatum super supplicantis paupertate, necesse prorsus est
& pensiones, & omne quod quis habet patrimonium exprimere, ut con-
sentiant omnes Doctores post Panormitanum in cap. *Postulasti*, de rescript.
num. 3. Præterea eadem incumbit necessitas pensionum, quas quis habet,
exprimendarum volenti novæ pensionis gratiam impetrare. Boërius in de-
cision. Burdegal. quæst. 162. Rebuffus tract. de pacific. possess. num. 142.
quia non facile præsumitur Romanus Pontifex velle novo oneri Ecclesiam
subjicere jam oneratam, argum. cap. *Mandatum*, de rescript. & sic decisum
in Rota refert post Cassadorum Rebuffus. His favet lex *Navis*, §. *Cum au-
tem*, D. ad leg. Rhod. de jactu, in his verbis: *Quia non debet duplici onere
onerari*. Et lex *Titia* 34. §. *Qui invita* §. D. de legat. 2.

V. Tertiò quaritur, liceatne plura tenere Beneficia? Respondeo cum
S. Thoma quolibet 9. art. 15. quem communiter ceteri sequuntur, Na-
varra Enchir. cap. 25. num. 128. Lessio lib. 2. cap. 34. dub. 27. plura qui-
dem simul tenere Beneficia non esse intrinsecè malum, nec tamen prorsus
indifferens, sed speciem quandam mali præ se ferre; quæ tamen mali spe-
cies desinat ubi adhibentur debitæ circumstantiæ, aut rationabilis dispen-
satio, aut sine dispensatione consuetudo recepta. Nam ut ait S. Thomas,
& post eum Navarra loco cit. consuetudo perinde ac dispensatio potest
humano

humano juri derogare, sed non naturali & divino. Non hic sermo est de Beneficiis incompatibilitatem habentibus primi generis, ut sunt duo Episcopatus, duæ Ecclesiæ Parochiales, duæ Dignitates, duo Personatus, aut etiam duo simplicia ejusdem generis sub eodem tecto Beneficia, ut duo Canonicatus. De hujusmodi statuitur, quod acceptâ pacificâ posterioris possessione, primum ipso jure vacet, cap. *De multa*, de præbend. & extravag. *Execrabilis*, eod. tit. Quin etiam non hic loquor de Beneficiis incompatibilitatem secundi generis habentibus, quanvis in istis non vacet primum per pacificam secundi Beneficii possessionem adeptam, qualia sunt duo Beneficia simplicia, quorum singula residentiam requirunt, ut sunt Dignitas in una Ecclesia, & Canonicatus in alia Ecclesia; quæ tamen in una eademque Ecclesia non haberent primi generis incompatibilitatem, quatenus sunt difformia, & non conformia, seu ejusdem generis Beneficia: neque etiam incompatibilitatem secundi generis, quia non sunt diversarum residentiarum, ut docent Navarra lib. 3. consil. 29. de præbend. & Lessius dub. 27. n. 144.

V I. De cæteris verò Beneficiis utraque incompatibilitate carentibus, si neutrum separatim sufficiat ad decentem victum, non est dubium quin utraque simul teneri possint, juxta Concilium Trident. sess. 24. cap. 17. Ubi verò singula seorsim sufficiunt ad decentem victum, ibi spectantur diversæ species mali. 1. Quia minuitur Dei cultus; Clericus enim tribus provisis Beneficiis, non nisi unum quotidianum persolvit officium, quod à tribus provisis seorsim persolvendum esset. 2. Minuuntur Ecclesiastici Operarii. 3. Fundatores sua frustrantur intentione. 4. Frustrantur subsidio alii pauperes Clerici, & forsitan magis idonei ac Ecclesiæ utiliores futuri. 5. Suppeditatur materia avaritiæ, luxus, & scandalorum occasiones. Hæc aliaque damna commemorat dicta extravag. *Execrabilis*, de præbend. Quæ tamen species mali possunt compensari & cohonestari quandoque per Ecclesiæ utilitatem spectabilem, ut contingit in summis Dignitatibus & personis illustribus, quarum conditio aliquem efflagitat splendorem. Item in quibusdam viris scientiarum & virtutum dote præcellentibus, & in illis præsertim qui sanctissimè redditus Ecclesiasticos dispensant, quorum rarus est hoc infelicissimo tempore numerus præ illis qui sacris redditibus nequiter abutuntur. Ubi causæ istæ non existunt, ne justa quidem, sed abusiva est dispensatio. Verùm ubi prorsus justa causa existit, atque ipsi Ecclesiæ conducibilis, sufficit (ut loco citato docet S. Thomas & alii communiter) ipsamet consuetudo; quæ tamen nullatenus sufficeret ubi Ecclesia grave pateretur detrimentum vel scandalum, ne quidem adhibita dispensatione, quia tunc læderetur Jus Divinum, contra quod prævalere non potest consuetudo vel dispensatio Ecclesiastica. Porrò interdicta pluriimum Beneficiorum possessio comprehendit etiam Beneficia in Commendam concessa, ut disertis verbis exprimit Concilium Trident. d. sess. 24.

cap. 17. his verbis: *Beneficia tam secularia, quam regularia quacunq[ue], etiam commendata.* Hoc tamen non derogat dispositioni priorum Canonum permittentium duo simul possidere Beneficia, quorum unum sit in Titulum, & alterum in Commendam, non perpetuam, sed temporalem ad sex menses, cap. *Nemo*, de elect. in 6. can. *Qui plures*, 21. quæst. 1.

* VII. Cæterum quantumcunque consuetudo plura beneficia tenendi non incompatibilia inoleverit, certum est huic licentiæ repugnare spiritum Ecclesiæ, qui non alius est à spiritu Sponsi ejus JESU-CHRISTI, ut constat ex innumeris Ecclesiæ Canonibus, & gravibus damnis paulò antè commemoratis. Et videmus eos qui plures habent præbendas, non idèò liberaliùs in eleemosynas & opera pietatis expendere, sed luxum & familiares expensas adaugere, sibiq[ue] damnationem asciscere, quantumvis comminetur Christus, Luc. 12. vers. 21. *Sic erit omnis qui sibi thesaurizat, & non est in Deum dives.* Et quidem tremenda eorum qui plures præbendas possederunt, exempla legimus apud Dionysium Cartusianum, ut mirum sit graves & insignes Doctores adèò negligenter in hac parte suæ aternitati providisse. Et quidem peccare etiam mortaliter eos qui plura vel possident sine rationabili causa Beneficia, vel aliis procurant, vel conferunt, eximii Doctores asserunt, Navarrus in miscellaneo 60. Gabriel Biel in 4. dist. 15. q. 8. Joan. Major dist. 24. quæst. 12. Azorius part. 2. lib. 6. cap. 111. Toletus lib. 5. cap. 81. Binsfeldius part. 4. cap. 3. Lopez part. 2. cap. 101. & 102. Sylvius in 2. 2. quæst. 63. art. 2. conclus. 9. Quia digni sunt morte non solum qui prohibita faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus. Roman. 1. Ait verò Concil. Trident. sess. 7. cap. 2. *Qui plures Ecclesias, sive in titulum, sive in commendam, contra præsentis decreti tenorem nunc possident, unà quam maluerint retentâ, reliquas infra sex menses si ad liberam Sedis Apostolicæ dispositionem pertineant, alias infra annum dimittere teneantur: alioquin Ecclesiæ ipsæ, ultimo obtentâ dumtaxat exceptâ, eo ipso vacare censeantur.* Idemque Concilium sess. 24. cap. 17. de reformat. hoc ipsum decretum ad S.R.E. Cardinales extendit.

VIII. Quartò quæritur, ubi constaret de certo quodam fundatarum Missarum numero, sed non de Fundatoris intentione circa Missarum applicationem, utrum libera sit Rectori seu Capellano harum Missarum applicatio, atque ita possit pro his applicandis stipendia recipere? Respondeo, non licere illi stipendia alia recipere, sed astringi ad applicandum pro anima Fundatoris. Etenim in obscuris inspicitur solet quod verisimilius est, aut quod plerumque fieri solet, 1. *In obscuris*, D. de regul. jur. Atqui verisimilius est hanc fuisse Fundatoris mentem, ut Missæ sibi applicarentur; & est frequentissima talium Fundatorum intentio, ut Missæ pro seipsis celebrentur. Ergo hoc idem de proposito Fundatore, ubi nihil aliud liquet, præsumi debet, ut voluerit sibi omni meliori modo providere. Bonacina de Sacram. Euchar. disp. 4. quæst. ult. punct. 7. §. 2. Ulterius hoc confirmat.

confirmatur per legem *Cum res legata*, D. de legat. 1. ubi dicitur, ibi præstandam rem esse ubi testator voluerit, vel ubi verisimilius est eum voluisse. Quibus etiam ex verbis infertur, eadem ratione Capellanum teneri celebrare præcisè in Ecclesia vel Altari quod Fundator expressè designaverit, si non excuset necessitas, vel iusta admodum causa: neque sufficere Patronorum vel hæredum consensum; his enim non licet intentionem Fundatoris intervertere. Quia in re si sæpius se dispenset absque causa Capellanus, peccat mortaliter, & secundum Grassium, Azorium, aliosque tenetur aliquam reddituum partem restituere. Alii quidam, ut Possévinus, & Bonacina, probabile iudicant, non teneri restituere, si alibi Missas quas debebat, celebraverit.

IX. Queritur quintò, utrum in casibus foundationis perpetuæ & quotidianæ Missæ sit astrictus Capellanus ad quotidie celebrandum, sive per se, sive per alium? Pro responsione approbo communem hanc Doctorum distinctionem. Vel Fundator velle se declaravit, ut provivus de Capellania sit actu Sacerdos & per se quotidie celebret; atque in hac parte consentio communi Doctorum suffragio, hunc dispensari ab isto quotidiano onere, duobus advenientibus casibus, scilicet corporis infirmitate, & speciali aliqua causa honestatis & devotionis debita: in utroque enim casu disertè declarat caput *Significatum*, de præbend. quotidianarum Missarum onus licetè intermitteri posse. Cùm verò intermissio illa debeat certis limitibus circumscribi, qui tamen non determinantur in ipso Jure, duplex adhuc restat discutienda quæstio, scilicet quot diebus liceat intermittere quotidianum illud onus propter ægrotudinem corporis; & quot etiam diebus propter honestatem & debitam devotionem? Et quidem quod spectat ad causam honestatis & devotionis, opinio multorum est, ut possit hac ex causa Capellanus Missam intermittere foundationis uno die per singulas hebdomadas. Panormitanus in d. cap. *Significatum*, Imola ibid. Sylvester verb. *Missæ* 1. quæst. 7. versic. *Quintum*, Angelus verb. *Missæ*, quæst. 45. Navarra consil. 7. de præbend. Zerola part. 1. verb. *Missæ*, ad 9. idemque part. 2. verb. *Missæ*, §. 9. Suarez in part. 3. tom. 3. disput. 86. sect. 1. col. 3. versic. *De beneficiis*, Barbosa de officio & potest. Episc. part. 2. alleg. 24. num. 31. Horum etiam aliqui, ut Navarra & Zerola, adjungunt posse ad singularum hebdomadarum diem unum interdum diem alterum superaddi. Ego tamen ut lubens quod canone illo *Significatum*, permittitur, dies aliquos intermissionis Missarum concesserim, nequaquam tamen ita frequentes, ut unus & alter dies de singulis hebdomadis eximatur: unum tamen de singulis mensibus diem demi posse, aut duodecim ex toto anno, indubitanter concesserim. Glossa quidem in d. cap. *Significatum*, exponit causam *devotionis debita*, contingens Sacerdoti peccatum mortale, ratione cuius debeat à Sacrificio abstinere. Ego verò latius istam devotionis causam exponendam duco, ut interdum etiam sacrificet ob aliam quam foundationis causam, etsi rarissimè

id ei liceat. Durissimum enim & indecorum, & debita devotioni oppositum nimis est, si Sacerdos tam iniquo vinculo astringatur, ut totius vite tempore non possit nisi pro uno aliquo defuncto, nunquam verò pro seipso, nunquam pro sancta Ecclesia, nunquam pro urgentibus populi calamitatibus, nunquam pro parentibus aut fratribus defunctis sacrum celebrare. Quum verò allegatur honestatis aut debita devotionis causa illa Canone prefato approbata, procul excluditur causa avaritia; nec enim tali Capellano licebit vel unam diem de toto anno demere ad celebrandum stipendii causâ pro alia quacumque intentione.

X. Nunc est discutienda altera, nimirum corporeæ ægritudinis causa, quæ juxta dictum caput *Significatum*, de præbend. dispensat à quotidianæ Missarum celebrationis obligatione, adeo ut opus non sit alterius Sacerdotis substitutione. Istas Missarum inducias Summistæ & Canonistæ diversimodè assignant. Qui eas strictius restringunt, limitant ad decem dies, quibus exactis, si infirmitas dicitur, volunt alterum subrogari Sacerdotem ad Missarum onus. Ita sentit Barbosa loco cit. Quod enim datum ob causam fuit, repetitur si ex recipientis infirmitate non potest causâ adimpleri, l. *Si pecuniam*, in princ. D. de condict. caus. dat. caus. non sequit. Qui verò latius has extendunt inducias, mensem ægritudinis assignant, Hurtadus de Sacramentis disput. 4. Layman, & Bonacina, qui ipse Mediolanensis civis Concilium provinciale septimum Mediolanense, tit. de Missis, in testimonium adducit, posse integrum stipendium à Sacerdote recipi, qui ex vera infirmitate uno mense non celebraverit. Media denique, meoque judicio justior & æquior sententia, quam tucetur Petrus Navarra lib. 2. de restitut. cap. 2. num. 211. & Bonacina de Sacram. Euchar. disp. 4. quæst. ult. punct. 8. num. 17. alique Doctores, concedit ex morbo dierum quindecim inducias. Improbabilis est autem opinio Sylvestri verb. *Missâ* 1. quæst. 7. num. 7. ad fin. & Azorii part. 1. lib. 10. cap. 24. quæst. 7. teneri detentum paucorum dierum valetudine Sacerdotem supplere per alium, aut pro rata de stipendio restituere. His enim aperte refragatur dictum caput *Significatum*, de præbend. & naturalis æquitas reclamatur, secundum quam dicit Glossa in l. *Arboribus*, §. *De illa*, D. de usufr. non esse denegandum salarium famulo, qui exiguo tempore ægrotavit.

XI. Prædictis quidem Missarum induciis absque stipendii diminutione locus est, quando voluit Fundator celebrari Missas ab ipso eodem qui de Capellania provisorius fuit, atque ita qui sit actu Sacerdos. Sed ut resumamus alterum primæ distinctionis membrum, si Fundator non providerit ut teneatur Capellania ab eo solum qui sit actu Sacerdos, poterit Clericus annorum quatuordecim, aut etiam secundum Gallia: usum annorum septem completorum provideri, qui teneatur per alium Missas persolvere; eoque casu non licebit ullo die Missas intermittere, neque valebunt ad illas inducias prædictæ sive corporis infirmitatis, sive honestatis, aut debita.

bitæ devotionis causa. Ubi enim libertas relinquatur alium subrogandi per eum, qui non Sacerdos fundatione provisus fuerit, jam non admittitur excusatio, quia uno impedito, nunquam deerit Sacerdos substituendus. Hac in re unanimes sunt præallegati Doctores, Abbas, Imola, Sylvester, Angelus, Navarra, Zerola, Suarez, Barbosa.

XII. Queritur denique, quænam requiratur expressio ad hoc ut Capellania aliqua censi debeat Sacerdotalis, hoc est, ut non possit nisi Sacerdoti, aut saltem juxta supradicta, ei qui possit intra annum fieri Sacerdos, conferri. Idem quoque quæri potest de aliis Beneficiis cateroquif simplicibus, si de intentione Fundatoris disceptetur. Respondeo, si statutum aut fundatio jubeat provideri de Capellano qui teneatur Missas celebrare, aut ut Capellanus ad tale Beneficium promotus toties sacrificet, nec addat ut teneatur per seipsum sacrificare, aut aliquid evidenter æquipollens, censi debere Capellaniam non esse Sacerdotalem actu, qualis esset, si juberetur eum qui promoveretur, esse actu Sacerdotem, & per seipsum statim celebrare: neque etiam aptitudine, qualis esset si juberetur provideri de Capellano qui teneatur per seipsum celebrare: quo casu, ut paulò superius dixi, sufficeret provideri de Clerico non actu Sacerdote, sed qui talis esset, ut intra annum fieri Sacerdos possit, quo intervallo teneatur Missas per alium supplere. Ubi verò fundatio disertè non exprimit ut provideatur de Capellano qui teneatur Missas præscriptas per seipsum celebrare, tunc illa Capella erit simpliciter Clericalis, & ad eam promovere licebit Clericum sufficientem & idoneum, hoc est nullo præpeditum canonico impedimento, quanvis in hoc Regno septem dumtaxat ætatis annos impleverit, aut alibi quatuordecim. Hoc verò discrimen, quo dignosci possit ex verbis fundationis, quænam censenda sit Capellania Sacerdotalis, & quænam simpliciter Clericalis, tradunt unanimes Doctores, Garcias de Beneficiis part. 7. cap. 1. num. 87. & seq. Augustinus Barbosa in remissionib. ad Concil. sess. 24. cap. 12. num. 62. Emmanuel Sà verb. *Beneficium*, num. 28. Bonacina de Sacram. Euchar. disput. 4. quæst. ult. punct. 7. §. 1. n. 1. Layman lib. 4. tract. 2. cap. 14. num. 2. Hi tres ultimi allegant responsiones Congregationis Cardinalium, quibus etiam Bonacina expressas. Rotæ decisiones adjungit. Porrò Sacerdotalis Capellania provisum adstringit ad residentiam, quando Missarum onus certo loco persolvendum est; non verò simplex, seu Clericalis, nisi substitutum Sacerdotem. Obligatio tamen residendi ad Capellaniam Sacerdotalem non est strictior quàm Parochi, cui licitum est brevi tempore abesse, relicto substituto; aut etiam longiore, ubi necessitas, vel iusta causa adigit.



CAPUT XXIX.

De Decimis, & Oblationibus.

I. **D**ECIMÆ, & Oblationes ad bona & jura Ecclesiæ pertinent. Decimarum triplex genus censetur: prædialium, quæ ex prædiis, locatione agrorum vel domorum, piscinis, lacubus, moletrinis, &c. personalium, quæ ex personarum negotiatione, famulatu, artificio, &c. mistarum, quæ ex animalium factu, lana, lacte, &c. educuntur; harum enim rerum fructus partim ex prædiis, partim ex hominum industria prodeunt. In his omnibus, tum quoad res ipsas, tum quoad taxationem spectanda est locorum consuetudo, quæ etiam pluribus in locis, præsertim in Gallia, cessarunt decimæ personales.

II. Fraudantur decimæ, si quis ad ipsas seponat fructus deteriores, quo casu mortaliter peccatur cum obligatione restituendi, quemadmodum etiam quando infra receptam taxationem præstantur. Non tamen tenetur quisque optima pro decimis seligere, sed mediocria ex bona fide, prout occurrunt. Joan. Major. in 3. Sentent. dist. 37. quæst. 36. col. 2. Navarra Manual. cap. 21. num. 31. Similiter statuit lex *Legato generaliter* 37. D. de legat. 1. legato generaliter relicto, veluti servi unius, neque optimum, neque pessimum esse accipiendum.

III. Deducendæ sunt decimæ ex integris fructibus ante omnem expensarum, censuum, tributorum & aliorum quorumcunque onerum deductionem: tum quia decimarum jura sunt antiquiora: tum etiam, quia jura Dei & Ecclesiæ humanis juribus anteferri debent, cap. *Cum non sit*, & cap. *Tua nobis*, de decimis.

IV. Quæritur de jure decimarum, an possit Laïcis competere? Non potest Laïcis primario competere, cum sit jus spirituale, contractum ob Ecclesiasticum ministerium; ideoque neque possideri, neque præscribi à Laïcis possunt, cap. *Ad hæc*, de decim. & cap. *Causam*, de præscriptione. Potest verò Laïcis competere jus decimarum ab illo primario exortum, quatenus potest Ecclesia jus laïcis ad fructus, prout temporales sunt, concedere, puta donatione, locatione, venditione. Hoc enim jus secundarium cum proficiscatur ex humano contractu, temporale est. Lessius lib. 2. de just. cap. 32. dub. 4. num. 19.

V. Gallia usus est, ut à Laïcis sine justo & probato titulo decimæ præscribi non possint, ne quidem possessione, cujus initii memoria non extet

extet, ut docet Laurentius Bochellus in Summa Beneficiaria, verb. *Decima*, cap. 3. num. 3. fuisse sapiffimè in Supremis Curijs iudicatum conformiter ad Clotarii Regis Constitutionem in legibus Alemanorum, cuius verba sunt: *Res Ecclesia de laicis absque charta nullus presumat possidere. Et si chartam non ostenderit, quod comparasset à Pastore Ecclesia, possessio semper ad Ecclesiam pertineat.* Alter Gallia usus est, ut ibidem tradit Bochellus num. 4. Charondas ad Codicem Henrici lib. 1. tit. de decimis 14. art. 1. Chenutius centuria 2. q. 6. Despeiffens de Benef. Eccles. tit. 9. sect. 1. n. 6. multa proferentes Judicata, quod decimæ à laicis infeudatæ ante Lateranense sub Alexandro Papa III. Concilium debentur laicis. Concilium istud anno 1180. conclusum & publicatum fuit. At verò quinque ferè ante id tempus seculis Carolus Martellus, urgente periculofissimo Saraceno- rum bello, qui magnam Galliarum partem invaserant, multarum Ecclesiarum decimas Ducibus exercitus sui attribuerat, ut eos in tanto Christianorum discrimine fidos & strenuos haberet hoc novo auctoramento. Atque hæ dicuntur decimæ feudales, seu infeudatæ, utpote à Principe in feudum conversæ. Præfatum Concilium decernit laicos decimas detinentes, non posse illas in alios transferre laicos, sed debere Ecclesiæ restituere, cap. *Prohibemus*, de decim. Idque servatur quidem in Gallia circa decimas post id Concilium infeudatas, aut quovis modo à laicis acquisitas; sed non circa decimas ante id Concilium infeudatas, quæ solent ad hæredes aliove laicos transferri, sive voluntariâ, sive coactâ alienatione. Louetus lit. D, cap. 9.

V I. Decimæ ex novalibus procedentes pertinent ad Parochum, ejus- que redditibus accrescunt, cap. *Commissum* 4. cap. *Quoniam* 13. cap. *Ex parte* 27. cap. *Cum contingat* 29. de decim. Idque servatur in Gallia multis firmitum Senatusconsultis, quæ refert Charondas lib. 1. responforum, cap. 18. Leprestre centur. 1. cap. 15. Bochellus Sum. Benef. verb. *Decimæ*, cap. 3. Novale hoc loco intelligimus terram nunc primùm ad fructificandum proficillam, cap. 1. §. *Novale*, & cap. *Quid per novale*, de verb. signif. quanvis alibi quoque significet terram coli solitam, sed quæ uno vel altero anno interquiescere solet, l. *Sylvæ*, §. *Novalis*, D. de verb. signif. Sed si antequam novale excoleretur jam erat decimis obnoxium erga Rectorem vel Prælatum, nihil novi Parocho acquiritur. Huic tamen competet actio adversus Rectorem vel Præbendam ad congruæ suæ portionis augmentum, si occasione novæ culturæ curialia ei onera succrescant, ut tradit Bochellus loc. cit. & si lis in longum protelanda videatur, potest initio petere ut per provisionem tale sibi interea supplementum decernatur. Congrua enim portio cedit in alimenta & victum Parochi, quæ dilationem in jure non patiuntur, l. 1. C. de aliment. pupil. præstand. atque initio litis, & extra communem Juris ordinem petuntur & providentur, l. *Cum unus*, §. fin. D. de aliment. & cibarij. legat. & l. penult. D. de his qui sunt sui vel alieni.

alieni jur. Eoque jure utendum circa congruam Parochi portionem, docet quoque Rebuffus tract. de congrua portion. n. 62. Sed si Parochis suppetit ex Beneficii fructibus sufficiens victus, non eis competit jus supplementi, ac repelluntur à petitione congruæ portionis, cum jam illam habeant, Louetus lit. D, cap. 8.

VII. Jure communi, quod in Gallia quoque receptum est, immunes sunt à solutione decimarum, tum Religiosi Hospitalarii ac Militares Sancti Joannis, tum Cistercienses, tum Cœlestini, cap. *Ex parte*, cap. *Licet*, cap. *Ad audientiam*, de decim. & privilegium istud Cœlestinis indulserunt Bullæ Cœlestini V. & Gregorii XI. quas roborarunt in Gallia pleraque Senatusconsulta apud Despeisseum tract. de benefic. tit. 10. sect. 3. Sed exemptiones istæ non extenduntur ad terras quas præfata Religiones tradunt aliis excolendas in emphyteusim, Gallicè *Bail à ferme*, vel in censum, ut tradit dictum cap. *Licet*, de decim. Verumtamen ne horum privilegiorum occasione Ecclesiæ graventur, Innoc. III. in Concilio generali providè decrevit circa Cistercienses, Templarios & Hospitalarios (nondum enim erat institutus Cœlestinorum Ordo, qui posterius emerfit) si quod prædium acquirant post idem ipsum generale Concilium, ut non hac à decimis exemptione fruatur, quanvis ab ipsis Religiosis possideatur & excolatur; sed privilegium solis inhæreat prædiis antea quæsitis, cap. penult. de decim. Et generaliter omnes Religiosi de novalibus suis, quæ propriis manibus vel sumptibus excolunt, & de nutrimentis animalium suorum, & de hortis suis decimas solvere non tenentur, cap. *Ex parte*, eod.

VIII. Quanvis nomine Oblationum generaliter comprehendi possint quæcunque liberè, sive per dispositionem inter vivos, sive mortis causâ offeruntur Ecclesiæ; communior tamen hujus vocis ac propria usurpatio duorum genera donorum comprehendit, quorum alia vel imaginibus, vel Altaribus, vel parietibus Templi appenduntur, vel in capsas & arcas Ecclesiæ projiciuntur; alia verò vel in celebratione Missarum, vel in Sacramentorum ministerio, vel ad manus Sacerdotis, vel in pelvim coram ipso contribuantur. Consuetudo frequentior, & passim usitator, testante Bochello ad Collat. Regiarum Constitut. lib. 1. tit. 6. sub fin. hæc est, ut istæ secundi generis oblationes Parochi lucro cedant: ea verò quæ appenduntur, ut dictum est, vel in capsas immittuntur, fabricæ & reparationi & ornatui Ecclesiæ destinantur; neque servantur nisi paucis in locis Edicta Henrici III. duo, scilicet Blesense art. 51. & Melodunense anni 1580. art. 21. quibus oblationum integra jura Parochis attribuuntur, cum derogatione Aurelianensis Edicti Caroli IX. quo pars aliqua Parochorum lucris subtrahebatur. Hæc Bochellus tradit, quanvis illo anterior Rebuffus tract. de decimis, q. 1. n. 29. & 30. scribat oblationes etiam ipsas quæ imaginibus aut parietibus appenduntur, deberi Ecclesiæ illius Parochi; sed si Ecclesia

Ecclesia indigeat, esse oblationes istas iudicio Episcopi impendendas ad reparationem. Zerola denique in praxi, p. 2. verb. *Oblationes*, testatur oblationes quæ in Parochiali Ecclesia fiunt, pertinere ad Parochum: eas verò quæ in alia fiunt Ecclesia, pertinere ad ejus Ecclesiæ Rectorem, seu Præpositum; sed eas, quæ in parietibus affiguntur aut suspenduntur, esse ipsius Ecclesiæ.



CAPUT XXX.

De rerum Ecclesiæ alienationibus.

I. **N**EQVE ullus Episcopus, neque Abbas, ac ne ipse quidem Summus Pontifex rerum Ecclesiæ alienandarum potestatem habet, ut disertè dicunt can. *Monemus*, can. *Quisquis Episcopus*, can. *Non licet Papæ*, 12. q. 2. neque possunt Presbyteri alienare inconsulto Episcopo, neque Episcopus inconsulta Synodo vel Capitulo prædium Ecclesiæ vendere, aut aliter alienare, can. *Placuit*, 12. q. 2. & cap. 1. de his quæ fiunt à Prælat. sin. conf. Capit. Neque tantum Capituli simul & Episcopi consensus, sed eorum quoque requiritur subscriptio, can. *Sine exceptione*, 12. q. 2. Decernit tamen can. *Terrulas*, 12. q. 2. terrulas aut vineolas exiguas, & Ecclesiæ minus utiles, aut longè positas posse Episcopum, si necessitas fuerit, sine consensu Capituli distrahere. Alienationis prohibita nomine comprehenditur donatio, venditio, permutatio, perpetua emphyteusis, cap. *Nulli liceat*, de reb. Eccles. non alien.

II. Clericus alienans rem Ecclesiæ, & quisquis eam recipit, excommunicatus est ipso facto: præterea Clericus remanet ipso facto privatus Beneficio & Ecclesiâ, cujus rem alienavit, cap. *Ambitiose*, in extrav. commun. de reb. Eccl. non alien. Talesque alienationes prorsus irritæ sunt, ibid. & cap. *Si quis*, eod. tit. & Concilium Tridentinum sess. 25. de reform. cap. 11. Adeo ut res alienatæ unâ cum fructibus restitui debeant, d. c. *Si quis*. Ratio est, quia præbendatus non est proprietarius, sed usufructuarius rerum Ecclesiæ. Ergo non potest nisi fructus solos alienare. Secundò, quia talis licentia res Ecclesiæ dissiparet, ipsaque Ecclesia spoliaretur suis. Tertio, quia Deo semel dicatum non est ad humanos usus transferendum, cap. *Semel Deo*, de regul. jur. in 6.

III. Procera nemorum arbores ad Ecclesiam pertinentes, dejici prohibentur Edicto Henrici II. anni 1158. & Edicto Aurelianensi Caroli IX. art. 29.

K k IV. Tres

IV. Tres iustæ alienandi causæ recensentur per Glossam in proemio Causæ 12. quæst. 2. Ecclesiæ utilitas vel necessitas evidens, ut si fructus non sufficiant impensis Ecclesiæ, aut Clericorum sustentationi, aut debitorum solutioni, pretium verò alienationis hunc defectum compenset, can. *Hoc jus porrectum*, 10. q. 2. Secundò ad subsidium pauperum in gravi necessitate, aut redemptionem captivorum, vel ad sepulturam Fidelium, ex S. Gregorio Magno lib. 5. epist. 17. & lib. 7. epist. 4. quibus ex causis sacra Vasa frangi & distrahi approbat: aurum enim habet Ecclesia, non ut fervet, sed erogat, & subveniat in necessitatibus, can. *Aurum*, 12. q. 2. Tertia causa est evitandi damni, quando Ecclesiæ prædia sterilia & inculta manerent ratione gravium pro iis reparandis impensarum, & longæ distantia, can. *Sine exceptione*, can. *Terrulas*, 12. q. 2. & cap. *Ad aures*, de reb. Eccl. non alien.

V. Solennitates omnes in Gallia necessarias ad validam rerum Ecclesiæ alienationem recenset Chevutius tract. de alien. rerum Eccl. Prima est, ut interveniat Cleri seu Capituli consensus in scripturam redactus, cui singuli subscribant, d. can. *Sine exceptione*, 12. q. 2. Secunda solennitas est, ut ex deputatione per Capitulum certæ personæ committantur ad inquirendum de necessitate aut utilitate hujus alienationis. Eaque inquisitio deinde referri ad Capitulum debet sub forma scripta & juridica, ut de illa constet sine fraudis suspitione. Tertia, ut publicè per Parochos, tum illius, tum vicinorum locorum, & per affixas locis publicis schedulas denunciatur futura alienatio per licitationem ac subhastationem, ut qui amplius licitaverit & satisfecerit, rem habeat. Quarta, ut accedat Episcopi aut Vicarii Generalis consensus: aut si de re agitur Monasterii vel Ecclesiæ Regularis, consentiat Abbas ac Prælatus Regularis; imò & licentia Summi Pontificis, adeo ut nec ipsa Superioris Generalis aut Provincialis autoritas sufficiat. Ubi verò agitur de bonis Secularis Ecclesiæ, non sunt receptæ in Gallia recentiorum Pontificum Sanctiones, quæ hujusmodi requirunt Supremæ Sedis dispensationem. Prædictæ verò adhiberi debent solennitates, licet non foret alienatio perpetua, dummodò procedat ultranovennium prædii Ecclesiastici emphyteutis, ut admonet Chenutius, addens ex defectu unius harum conditionum Senatusconsultis Gallicanis multas rescissas fuisse alienationes rerum Ecclesiæ factas ab annis amplius centum.

VI. Observa duplicem competere actionem Ecclesiæ ad hanc rescissionem & recuperationem, scilicet actionem personalem adversus alienatorem, si est solvendo; & actionem realem adversus possessorem rei, argumento legis 3. & ult. C. si tutor vel curat. & can. *Apostolicos*, 12. q. 2. Sed si obtineret contra unum istorum, cessaret actio Ecclesiæ, l. 1. §. *Si plures*, D. de eo per quem fact. erit. Et si unum conveniat, non fit Ecclesiæ præjudicium quoad alterum; sola enim solutio imponit ei silentium, l. 1. §. *Si*.


§. Si apud, D. depositi : & l. ult. C. Si tutor vel curat. ut docet Glossa in cap. Si quis, verb. Alienata, de reb. Eccles. alien.

V II. Denique sciendum, contra rei Ecclesie alienationem sufficere ut impediatur, vel ut facta revocetur, oppositionem etiam unius solius de Capitulo, contra communem reliquorum consensum, d. cap. Si quis, de reb. Eccles. alien. Etenim in re communi potior est conditio prohibentis, cap. In re communi, de reg. jur. in 6.



CAPUT XXXI.

De celebratione Festorum.

1.  DISCIMUS ex capite 1. & cap. Conquestus, de feriis, opera Dominicis, festisque diebus prohibita, duplicis esse generis, scilicet servilia & mechanica, ad quæ nulla competit necessitas, vel quæ rationabili dispensatione non justificantur. Ex illis etiam quæ neque servilia, neque mechanica sunt, prohibentur juramenta publica, acta pariter Notariorum publica (exceptis tamen conventionum connubialium actis, & ultimarum voluntatum.) Vetantur insuper omnes judiciarii processus & strepitus forenses. Verumtamen privata studia & privata scripturæ, quanvis dirigantur ut præparatoriæ ad causas forenses, nullatenus diebus sacris prohibentur. Hæc enim neque servilia opera sunt, neque acta publica, neque strepitum judicalem præse ferunt ullum. Merces verò quæ pro ejusmodi scripitionibus exsolvitur, cum sit operi debita nullatenus servili, non potest esse vilis, sed potius honoraria.

I I. Artificum delineationes in charta, quales sunt architectorum, pictorum, sculptorum, ac pictorum, fabrorum lignariorum, nullatenus serviles censeri debent, quia sunt magis ingenii quam corporis operationes: ideoque studii loco censentur, modo in charta sola exarentur; ideoque sacris diebus fieri non vetantur. Soto lib. 2. de justitia, quæst. 4. art. 4. Navarra cap. 13. num. 12. Toletus lib. 4. cap. 24. num. 7.

I I I. Necessitas quoque, sive publica, sive privata, remoto quoad fieri potest scandalo, facit licita diebus festis opera servilia, cap. Licet, cap. Conquestus, in fine, de feriis.

I V. Concilium Aurelianense tertium nationale viginti & sex Episcoporum, habitum sub Vigilio Papa, regnante Childeberto, anno Domini 540. recenser quatuor species operum etiam servilium, quæ diebus etiam Dominicis licita declarat. 1. Aurigarum. 2. Coquorum & Pistorum.

K k 2 3. Famu

3. Famulorum domum adornantium. 4. Eorum qui corpora hominum adornant. Ejus verba hæc sunt can. 2. *Quia persuasum est populo, die Dominico agi cum caballis, aut bobus, aut vehiculis itinera non debere, neque ullam rem ad victum preparare, vel ad nitorem domus, vel hominis pertinentem ullatenus exercere, que res ad Judaicam magis quam ad Christianam observantiam pertinere probatur: Statuimus ut die Dominico quod antè fieri licuit liceat. De opere autem rurali censuimus abstinendum.* Adeo periculosum judicabant Sancti Antistites hominum conscientias peccatis implicare per duriores & rigidiores præceptiones, atque doctrinas, quibus rudis populus per alienas persuasiones fuerat imbutus.

V. Observa post Sanctum Antoninum 2. p. tit. 9. cap. 7. §. 5. vers. *Item viatores*, & Suarez de Religione lib. 2. cap. 27. itinerationem, sive pedibus, sive jumento, sive vehiculo, sive remigio fiat, non esse absolute diebus Dominicis aut festis prohibitam, sed solum ratione accidentium, aut circumstantiarum quarundam, ut si absque necessitate auditio Missæ omittetur, aut bestia onusta, vel currus onerati agerentur, ac servilia munia in onerando & exonerando impenderentur. Sed licere festis diebus itinerari, bestias onere solutas, vel currus vacuos agere, equites, aut curru vectos comitari, eosque qui lecticâ, aut vehiculo, aut navigio deferuntur, juvare; lecticam mulis, & vehicula navigis superimponere ad trajiciendum amnem aut mare, onera ad itineris usum necessaria bestiarum dorso imponere, atque levare. Addit his Suarez lectum Domini alicujus transnigrantis, si itinerando in hospitii commodum non esset reperiturus. Muliones quoque, & quoscumque currus oneratos agentes, dummodò primo profectionis die non festo iter ingressi fuerint, si postquam itinere proceffi sunt, dies Dominicus, aut festus occurrat, non teneri subsistere, quod eis magno damno & jacturæ foret; sed iter antea ceptum cum mulis & curribus onustis prosequi, modò Sacrum audire curerent, & agenter; adeo ut postquam prima discessio licita fuit ob diem non festum, & quoque itineris prosequutio in hujusmodi licita, occurrente Festo: tum ob publicam necessitatem, quia interest Reipublicæ ne frugum, piscium atque mercium comportatio retardetur: tum etiam ad grave incommodum mulionum & aurigarum evitandum, qui ob quietis expensas jacturam incurrerent; ut non valentes arte, laboreque suo victitare, præsertim si plura Festa, Dominicæque dies sequerentur, necesse esset cum publico, privatorumque gravi damno prorsus ab hujusmodi transportationibus desistere. Hæc Suarez autoritatibus confirmat sapientissimorum Caluistarum, Cajetani, Angeli, Rosellæ, Navarri, quibus adde Sanctum Antoninum loco supra laudato, cujus hæc sunt verba: *Item vectores, tum alimentorum, tum personarum ad loca remota, cum alias non possent sine gravi incommodo vitam transigere, creduntur exempti die Festo.*



* C A P U T XXXII.

Nonnulla de Divinis Officiis recitandis, & audienda Missa.

I. **D**EUM nobis exemplar esse vitæ activæ sex hebdomadæ diebus, quibus Mundum fabricavit; septimo autem quo ab opere creationis requievit, formam nobis & exemplum contemplativæ perhibuisse, docet Philo Judæus in suo de Decalogo tractatu, ut sive laborantes, sive quiescentes Deum imitari studeamus, diemque septimum, quem Mundi Opifex cultui suo consecravit, religiosè sacris precibus & meditationibus sanctis impendamus. Transacta verò veteris Legis nocte, atque illucescente novæ per Christum gratiæ luce, successit in locum Sabbathi sublequens feria, quæ in Evangelio nominatur prima Sabbathi, & in Apocalypsi dies Dominica, quæ Christianis ab omni opere servili feriandum est, & sacris orationibus incumbendum, præsertim autem sacrosancto Sacrificio attendendum.

II. Obligatio de audienda devotè Missa diebus Dominicis, aliisque occurrentibus per annum festis, habetur de consecrat. dist. 1. cap. *Missis*, quæ duplex ab omnibus Christianis exigit officium, ut scilicet nisi ægritudine, aliove necessàrio impedimento distineantur, corpore interfint, & animo intenti sint, id est ne homo aliò divagetur voluntaria mentis distractione.

III. Queritur utrum Missæ auditioni satisfaciatur, qui simul obligationi satisfaciatur Divini Officii recitandi, vel injunctæ à Confessario pœnitentiæ precibus? Et quanvis negativam tueantur Sylvester & Angelus, longè tamen probabilius affirmant Toletus lib. 6. cap. 6. & quos allegat Authores, Adrianus, Medina, Cajeranus, Navarra, Sotus, Rosella, Armilla: item Suarez, Azorius, Lopez; Bonacina de Sacram. Euchar. disp. 4. quæst. ult. num. 25. Grassius, Henriquez, Filiucius. Ratioque in promptu est, quia hæc reperitur & corporis & animi præsentia, quæ ad Missam exigitur, quoties per devotas preces mens ad Deum erigitur, ut fit in recitatione satisfactoriæ pœnitentiæ vel Divini Officii, cum ad utramque obligationem una eademque attentio possit sufficere. Hoc idem pariter docent Adrianus tract. de satisfactione, quæst. 7. Medina tract. 2. de pœnit. injuncta, & Toletus lib. 6. cap. 6. num. 4.

IV. Queritur etiam, utrum Missæ audiendæ præcepto satisfaciatur qui tempore celebrationis Missæ peccata sua confitetur sacramentaliter? Negativa

gativa pars mihi omninò placet cum Suarez & Azorio, quos sequitur Bonacina retractans suam pristinam opinionem affirmativam tract. de Sacram. Euchar. disput. 4. quæst. ult. puncto 11. num. 26. Ratio est, quia quanvis Confessio sacramentalis sit actus religiosus, tamen talis actus cum colloquiis quæ fiunt inter Sacerdotem & penitentem ad explorandas peccatorum circumstantias, aliam exigit attentionem quàm quæ in Missâ requiritur; attentio enim quam Missa requirit, debet esse per modum orationis, qualis non adest in perferendis culparum momentis & circumstantiis, & in dialogicis intervenientibus inter penitentem & Confessarium, & in prolixis narrationibus jurgiorum.

V. Quæritur tandem an satisfaciatur qui duas Missas medietates à duobus Sacerdotibus audit, ut si Ecclesiam ingressus inchoatâ jam Missâ, consecrationi, & iis quæ subsequuntur interfuit, deinde sequentem Missam usque ad consecrationem audit & discedit? Satisfacere affirmant Major, Navarra, Soto: hæret Toletus super non servato partium Missæ ordine, & super diversitate Sacerdotum, non quidem secundum speciem, sed secundum individuum: quæ diversitas cum sit merè accidentaria, non videtur impedire adimplerionem præcepti, ut contingere etiam posset in Missâ inchoata ab uno Sacerdote, qui proventus usque ad Canonem incidit in deliquium, aut moritur, quæ unum & idem sacrificium constituit cum prosecutione quæ per succedentem alterum Sacerdotem fit, à quo Sacrum inchoatum perficitur. Nec dubium est quin is qui utrique parti sub duobus Sacerdotibus interfuit, audiendâ Missâ præcepto satisfaciatur. Quapropter ipse Toletus opinionem illam Majoris, Navarra & Soti, quos allegavit, judicat esse probabilem. Bonacina verò num. 13. cum aliis quos ibi citat Authoribus hunc scrupulum aufert.

VI. Satisfaciunt pariter qui Sacro inservientes discedunt ut deferant thus, vinum, aquam, hostiam, candelas, vel quid simile. Toletus loco cit. & alii.

VII. Disceptatur inter Summistas, quænam pars Missæ ommissa pertingat usque ad mortale peccatum? Et quanquam diversi diversa sentiant, communior tamen & probabilior sententia est docentium, omissionem auditionis à principio usque ad Epistolam exclusivè, non esse partem notabilem; sed si ipsa quoque omittatur Epistola, neque ulla excuset necessitas, materiam esse mortalis delicti. Ita censent Tabiena, Navarrus, Suarez, Graffius, Henriquez, aliique quos citant & sequuntur Toletus lib. 6. cap. 7. num. 4. & Bonacina dicta disp. 4. quæst. ult. puncto. 11. num. 16. Nonnulli tamen cum Sâ & Bartholomæo ab Angelo, materiam notabilem non ponunt nisi ab initio Evangelii.

VIII. De privata Missæ celebratione temporibus Officiorum Chori, Panormitanus in cap. *Cum olim*, de sent. & re judic. num. 6. Azorius part. 2. lib. 3. cap. 11. quæst. 19. Augustinus Barbosa ad Concil. Trid. sess. 24. cap. 12. num. 57.

num. 57. Bonacina tract. de his quæ ad Divini Officii recitat. pertin. disp. 2. quæst. 5. punct. 3. §. 4. num. 1. Riccius in Prax. distrib. decif. 492. num. 2. ubi etiam allegat decretum Sacræ Congreg. Cardinalium, aliique Canonum periti docent unanimes, Canonicum celebrando Missam in Ecclesia propria lucrari non posse distributiones ejus Officii quod tunc in Choro canitur, nisi hoc fiat ex rationabili causa approbata à Præfecto, putà ob supervenientem advenarum Processionem, aut sublimis dignitatis personam. Et perniciosi quidem exempli foret, si laborantibus in Choro destinata stipendia, prætextu Missæ quæ in aliam horam remitti posset, aliò transferre fas esset, cum publici cantus diminutione, propter quem distributiones diariæ sunt institutæ.

I X. Præcipit verò Clericis Officio Divino astrictis Concilium IV. Lateranense Generale, sub obligatione sanctæ obedientiæ, ut *Divinum Officium nocturnum pariter & diurnum, quantum eis Deus dederit, studiosè celebrent pariter & devotè*. Ita cap. *Dolentes*, de celebr. Miss. Devotio porrò nulla est sine animi attentione: frustra verò quis oppofuerit Ecclesiam nihil præcipere de internis; quandocumque enim exterior præcipitur actus secum involvens actum aut dispositionem interiorem, illa interior actio eodem præcepto continetur. Atque ita dum mandatur recitatio Divini Officii, non aliter mandatur quàm ut actus religiosus, seu ut oratio in Deum directæ. Similiter lex annuæ confessionis obligationem complectitur actuum internorum pœnitentiæ, sine quibus sacrilega esset ejusmodi apud Sacerdotem confessio. Præterea dum jubet conferri aliquod Sacramentum, intendit ut minister necessariam adhibeat animi intentionem, exeratque actum humanum ac liberum, non autem elusorium aut belluinum, qualis esse posset hominis ebrii, aut amentis vel impii, profusque ab Ecclesiæ intentione alieni.

X. Triplex distingui solet intentio, scilicet actualis, quâ re ipsa mens cogitat eodem momento quo actus producit externus: virtualis, quâ homo liberè actum exerit exteriorem in virtute deliberationis quæ præcessit, ut cum quis ex vi præcedentis decreti proficiscendi Massiliam itineri se accinxit, etsi proficiscendo in alias res distrahatur, neque de Massilia cogitet: & habitualis, quâ homo ex habitu repetitis actibus aut aliter acquisito aliquid agit. Habitualis attentio neque humana verè est, neque rationem sequitur, neque sufficit ad ullum Officium: ut si quis ex habitu pridem acquisito ebrius aut mente captus baptizaret, aut si noctambulus dormiens aliquid de Canonicis Horis recitaret. Actualis autem attentio, sive intentio, sufficere seorsim ac singulæ possunt sive ad Sacramentorum, sive ad Officiorum & Orationum Divinarum ministerium. Actualis attentio habetur si quis actu exercito advertat ad verba ipsa, vel ad sensum & intelligentiam verborum, vel ad Deum ipsum, aut ad Divina Mystera. Virtualis attentio ea est, quæ ex ea, quæ paulò
antè

antè præcessit, deliberatione actuali movetur, tametsi cogitatio illa actualis interrupta mox fuerit superveniente indeliberata distractione animi ac divagatione mentis. Hoc enim commune habent agentia naturalia cum moralibus causis, ut operentur non solum immediatione, ut vocant, suppositi; ut quum ignis agit in lignum sibi conjunctum mutuo contactu; sed etiam immediatione virtutis, ut si quis lignum haud procul distans calefaciat, aut si stupas consumat modico intervallo distantes. Ita etiam causæ morales suam promovent virtutem ad aliquos distantes effectus; sed tamen limitatam habent suæ activitatis circumferentiam, ut neque ignis in remotiora subjecta quidquam possit operari, neque expressa intentio animi pertingere queat multiplices, aut nimium diuturnas remotasque interruptiones & intercapedines: quas animadvertens quisquis Orationi vacare studet, pristinam debet intentionem revocare, ne hac indignantis Dei voce notetur: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me.*

XI. Istud quoque tenendum, eos qui sunt simul Canonici & Consilarii Curia Parlamenti, dum Curia intersunt jurisdictione fungentes, potiri quidem suarum fructibus Præbendarum, sed privati distributionibus quæ solis reservantur Clericis qui Divinis intersunt Officiis. Verumtamen temporibus quibus vacat Curia, possunt Regii Consilarii canendo in Choro distributiones lucrari. Ad hæc confirmanda jura multa congerunt Supremæ Parisiensis Curiae judicia Louetus ejusque Scholastes Brodeus lit. C, num. 24. Simile quid observatur circa Regia Capellæ Cantores, qui postquam servitii sui vices compleverint, ejusque scriptam attestationem retulerint, nisi quamprimum ad Ecclesiarum residentiam, quarum Præbendas possident, revertantur, amittunt illarum fructus, quibus tamen potiebantur quandiu præfixis sibi vicibus Regia Capellæ inservierunt, juxta Edictum Melodunenfe anni 1580. Regia Capella Regem quocumque ierit sequitur. Sancta verò Capella Parisiis affixa est.]